*Quod Deus Benè Vertat!*

DISSERTATIONEM INAUGURALEM JURIDICAM

DE

# DIVORTIO EX CAUSA DESERTIONIS,

*Permissu*

Amplissimæ Facultatis Juridicæ

*Rectore Universitatis Tubingensis*

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO, DOMINO

CAROLO MAXIMILIANO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ & TECCIÆ,

COMITE MONTISPELGARDI & DYNASTA in HEIDENHEIM, &c.

*PRÆSIDE*

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo, DOMINO,*

BURCKHARDO BARDILI,

U. J. D. & Pandect. Prof. Publ. h. t. Decano Spectabili,

*Pro*

LICENTIA

*Summos Utriusque Juris Honores consequendi*

Ad Diem Februarii,

*Solemni Examini sistit*

PHILIPPUS HENRICUS Eckstein/Heilbronn.



*TUBINGÆ,*

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO MDCLXXV.

LIBERÆ S. R. I. REIPUBLICÆ
HEILBRONNENSIS,

*MAGISTRATUI INCLUTO, OPTUMO, FELICISSIMO,*

VIRIS,

*Magnificis, Nobilißimis, Amplißimis, Prudentissimis & Consultissimis,*

DNN.

# CONSULIBUS, PRÆTORI, QUATUORVIRIS, SENATORIBUS;

*UT ET*

VIRO

*Nobilißimo, Amplißimo, Consultißimo & Excellentissimo DOMINO,*

JACOBO FRIDERICO Rühle/
U. J. Doct. Reipublicæ Patriæ Syndico Gravissimo.

*Felicitatem & Incolumitatem Perpetuam!*

## Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atque Prudentissimi.

SOlenne est autoribus, in limine operis, quod publicæ lucis faciunt, nomina eorum præmittere, à quorum gravitate & autoritate vel ipsi operi aliquid splendoris accedere posse putant, vel quorum propensa & perpetua in eos esset benevolentia. Ex his ferè causis & mihi fortè indulgeri posset, Amplissimi Viri, à Magnifico Vestro Nomine dissertationem meam ordiri, nisi quod, quam alii ejus rei veniam à dignitate operis sui sperare poterant, illam ego solus ab humanitate vestra rogare & exspectare debeam. Quam tantisper me impetraturum credo, si amor & affectus in Patriam, observantia erga Viros Magnificos & Patriæ Patres, sive à senio sive à cura Reipublicæ ita dictos, si

denique jussus Paternus fiduciam meam vel adjuvare, vel audaciam excusare potest. Monuit præterea & immensa beneficiorum, quæ à vobis in me profecta sunt, magnitudo, ut gratum memoremque me ostenderem. Quando autem ad remunerandum in præsenti nihil suppetit, præter voluntatem, exiguas hasce pagellas pignoris obsidisvé loco vobis offero & dedico, quod, si quando præsens optatissimum illum diem videro, quo & gratum me hominem, & dignum tanta patria civem sistere possum, non tàm vita mea mihi cara erit, quam pietas in referenda gratia jucunda. Accipite ergò, Viri Amplissimi, benigna fronte, qualecunque hoc dissertationis genus, & sub clypeo nominis Vestri Magnifici, Securitatem illi indulgete. Vos interea vivite sub tutelari Dei manu inter tot tantasque belli calamitates undequaque mirè tumultuantes quieti & beatissimi, ut redux ad lares domesticos de communi totius patriæ, & sic propria felicitate mihi gratulari queam.

*V. V. M. M. & A. A.*

Cliens devotissimus & subjectissimus

Philippus Henricus Eckstein.

# PRÆFATIO.

MAtrimonium etsi indissolubile vinculum sit, individuam vitæ consuetudinem continens, humana auctoritate non facilè dissolvendam, juxta illud Salvatoris: *Quod DEUS conjunxit, homo non separet*, maximè in novo † Testamento, sublato per Christum libello repudii, quem DEUS olim in populo Judaico propter cordis duritiem indulserat, *Deuter. 24. v. 1.* junct. *Matth. c. 5. v. 31. & c. 19. v. 7. & seqq.* † Sunt tamen adhuc hodiè causæ, ex quibus conjuges non tantùm quoad thorum & mensam, ut Canonistæ & Pontificii malè existimant, propterea refutati à Beza de repudio pag. 157. & Borcholt. de grad. pag. 132. Verùm etiam quoad ipsum vinculum matrimoniale licitè iterum separari possunt. *Adulterium* scilicet, de quo *d. cap. 5. & 19.* & *Malitiosa desertio* de qua *1. Corinth. 7. vers. 10.* & seqq. † Et sunt hæ duæ causæ revera inter se distinctæ; nec admittendum est, quod quidam tradunt, non tàm ex malitosa desertione solvi matrimonium, quam ex præsumtione exinde orta de adulterio deserentis; quia Apostolus *1. Corinth. 7.* agit de desertione, cui non libido causam dedit, sed infidelitas, unde nec adulterium exinde præsumi poterit; † Et licet sæpissimè concurrat crimen adulterii, cum delicto

1. 2. 3. 4. 5.

 licto

licto desertionis Henning. Arnis. de jur. connub c. 6. sect. 6. num. 4. id tamen non fit ex natura ipsius desertionis, sed ex accidenti tantùm, unde nec deserenti pœna adulterii infligi debet, priusquàm de eo certò constet Gandin. in tit. de præsumt. & indic. in dub. num. 2. Prosper. Farin. pr. cr. p. 3. q. 81. num. 1. Carpzov. pr. 6. cr. p. 2. qu. 58. num. 61. † De adulterio, an & quatenus exinde ad separationem agi possit, & quæ bona in tali casu parti innocenti adplicari debeant, hinc inde varii 7. exstant Auctores. † De *Desertione* autem *Malitiosa*, hac vice DEO juvante, pluribus erit agendum.

## THESIS I.

1. DEsertio composita vox est, à præposirione de, quæ hic privationem significat & verbo serere, quod idem est, ac jungere, ordinare, ita ut ex origine vocabuli, deserere significet actum aliquem, quo res junctæ & ordinatæ iterum disjunguntur, & extra ordinem po- 2. nuntur. † In jure nostro Civili deserere interdum sumitur pro non observare vel negligere, quo sensu vadimonium quis dicitur deserere, qui se ad vadimonium & condictum diem non sistit; sic Ulpian. *in l. 4. §. 4. si quis caution. in jud. sist.* promissionem desertam dicit, quam promittens non observavit, quæ eodem 3. sensu in seq. *l. 5. §. 1.* à Paulo contemta dicitur. † Interdum deserere idem denotat, quod derelinquere, destituere, sic ager dicitur deseri, qui cum sterilis sit, à Domino pro derelicto habetur, *tot. tit. C. de omni agro desert.* sic milites dicuntur deserere, qui locum in acie relinquunt, aut sine venia vel comitatu discedunt *tit. C. de desert. & occult. eorum.* Sic causam, appellationem, & accusationem dicitur deserere, qui ab instituta actione, seu lite. *l. 31. §. 2. de negot. gest.* appellatione & accusatione recedit & de- 4. sistit. † Hoc loco significat desertio actum, quo quis rem per actualem & localem discessum derelinquit, estque duplex: Una, quæ fit jure permittente, ex justa & probabili causa; altera, quæ fit

fit jure prohibente, nec ex justa & probabili causa; Et hæc non illa desertio hîc nostrum argumentum erit.

II.

Ponitur deinde in inscriptione vocabulum **divortii**, de cujus Etymologiâ uti non una omnium est sententia, vel enim ex eo dictum est, quod in diversas partes, qui discedunt, eant, *l. 191. in f. de V. S.* vel à diversitate mentium juxta Gajum *in l. 2. ff. de divort.* vel à divertendo Gœdd. *ad l. 101. §. 1. de V. S.* ita non uno modo accipitur. † Sic aquarum divortia dicuntur Ciceroni *l. 3. de Orat.* doctrinarum *Cic. d. l.* Itinerum *Liv. l. 44.* Isid. *l. 15. c. ult.* Fluminum, *Lucano*, Opinionum, Morborum &c. Et in genere divortium rerum omnium separationem dicit. † Hebræi, penes quos divortium vetustissima habet initia, nomen divortii à verbo, quod scindere sonat, derivant, libellumque abscissionis dicunt, quod nempè viri & uxoris nexum, conjunctionemque in perpetuum abscindat. † Et hæc significatio est hujus loci. Unde etiam divortium dicitur legitima Viri & Uxoris separatio Richt. *in consil. vol. 2. consil. 337. num. 1.* † Quæ separatio est vel totalis, quoad vinculum matrimoniale; vel partialis, quoad thorum & mensam Richt. *d. cons. 337. num.* 2. De totali autem separatione hic nobis sermo erit. † Quæ iterum considerari potest vel prout est facti, in ipso nempè actu desertionis, quando conjux à conjuge sine justâ & probabili causâ discedendo, legem matrimonialem violat, & sic, quantum in se, vinculum illud unitatis conjugalis dissolvit, & se ab obligatione matrimoñiali contracta de facto liberat; quæ separatio ratione ipsius deserentis peccatum & injusta est; † vel prout est juris, pro illa scil. separatione, quæ à Magistratu propter vitiosam illam partis discedentis separationem justè & licitè fit, & non nisi per accidens contra legem matrimonialem est. Et de hac quidem licita Magistratus separatione in sequentibus agendum erit.

(margin: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.)

III.

Est ergò **divortium** ex causa desertionis in hoc significatu nihil aliud, quàm **actus quo propter discessionem unius conjugis, sine justa & probabili causa, Judex, observato ritè de-** (margin: 1.)

tè desertionis Processu, conjuges separat, & parti innocenti ad alia convolandi vota potestatem concedit. † Generis loco dicitur **actus**, quod generale vocabulum est *l. 19. de V. S.* Et quidem Judicialis. † Reliqua verba continent differentiam specificam, qua ab ejusmodi separatione, quæ fit vel ex causa formicationis, vel quoad thorum & mensam distinguitur. † Divisionem reperio nullam, nisi quod ratione subjecti istiusmodi separatio fiat, vel inter illos, qui verè conjuges sunt, matrimonio nempè per sacerdotalem benedictionem ritè ac legitimè contracto: vel inter quos quidem vinculum matrimoniale non est, aliud tamen per sponsalitium consensum intervenientem constituitur, inter sponsum scil. & sponsam tantumque operatur, ne sine justa & probabili causa alteri alterum deserendi, legesque adeò sponsalitias violandi copia sit. † Deinde, cum matrimonium sit vel ratum & legitimum, vel legitimum & non ratum, vel ratum & non legitimum: etiam separatio hæc fit vel inter conjuges tales, inter quos matrimonium ratum est & legitimum, vel legitimum & non ratum, vel ratum & non legitimum.

IV.

**Causa** † **Efficiens** hujus divortii est vel **Remota**, vel **Proxima. Remota** † est **jus** quod totalem dissolutionem vinculi matrimonialis propter voluntariam ejusmodi & sine justa ac probabili causa factam discessionem conjugis concedit, quamvis enim uti supra dictum † matrimonium juxta propositum & votum cohabitantium perpetuum atque individuum sit vinculum, sive individuum accipiatur pro eo, quod commune adhuc est & indivisum, quo sensu hæreditas individua dicitur à Modestino *JCt. in l. 32. §.* Lucius *6. de administr. & peric. tut.* & individuum curæ officium à Paulo in *l. 46. §. 1. eod.* sive pro eo, quod dividi non potest, ut cum obligationes, servitutes, stipulationes individuæ dicuntur. Ex † accidenti tamen, & præter votum ac intentionem contrahentium lex nonnunquam justis de causis Magistratui separationem permittit. Legem autem † quæ dissolutionem vinculi ob discessionem conjugis concedit, intelligimus non humanam tantùm, sed & divinam. Quamvis enim Salvator noster unicam tantùm divortii ponat

nat caufam, fornicationem nempè *Matth. 5. & 19.* Addit tamen Apoftolus aliam, defertionem fcil. *1. Corinth. 7. verf. 15.* Nec tamen propterea † adverfatur dicto effato Chrifti, fed potius fuppofito illegitimo infidelis divortio, confilium fuppeditat, quomodo conjugis fidelis confcientiæ fit profpiciendum, atque partem innocentem fub jugo injuftæ fervitutis haud detinendam cenfet, fed liberam renubendi poteftatem concedit Carpzov. *Jurispr. Confift. l. 3. tit. 5. def. 56.* Nec hic recedit † jus Civile, quod propter defertionem conjugis divortium æque, imò facilius, quàm ipfum jus Divinum permittit. Quamvis enim † Imperator Juftinianus quando in *Nov. 22. c. 15. & 16. & Nov. 117. c. 8. & 9.* recenfet caufas, ex quibus licitè divortium fieri poteft, non exprefsè & in fpecie mentionem faciat defertionis malitiofæ, quia tamen † ex pluribus aliis, etiam levioribus caufis, divortium ibi concedit, ipfam defertionem quoque fubintellexiffe cenfendus eft, utut taxativè loquatur, quia † particula ejusmodi taxativa, uti & in *Nov. 115. & 3.* non excludit caufas graviores aut æquè graves, fed minores duntaxat, fecundum regulam vulgatam. Adde *l. 2. C. de repud.*

6. 7. 8. 9. 10.

V.

Ad Jus **Canonicum** quod attinet, fanè illud non dedignatur quidem Sacros Canones fequi, in hac tamen quæftione divortium facit à jure civili, nec ex caufa malitiofæ defertionis diffolutionem vinculi matrimonialis concedit, *arg. c. 9. ex parte X. de fponfal.* fcil. † hoc jure divortium tantùm certis in cafibus permittitur, quos vide apud Henricum Canifium *ad tit. de divort. 19. X. num. 3.* Inter quos defertio malitiofa minimè refertur. Ex quo eft, quod † ob adulterium vel malitiofam defertionem inducatur quidem thori & cohabitionis feparatio *c. 1. c. 32. qu. 7.* quæ feparatio, utut divortium quoque dicatur, propriè tamen divortium non eft, nec vinculum propterea matrimoniale diffolvitur Brunnem. *ad l. 6. ff. de divort. num. 9.* Befold. *volum. 3. conf. 26. n. 1.* Wehner. *confil. Francon. 45.* Quicquid tamen fit de jure Canonico, † ab hoc jure in Confiftoriis Auguftanæ Confeffionis difceffum, & confuetudine univerfali in his terris recepta ob hanc caufam diffolvitur vinculum matrimoniale. Idque † æquiffima ra-

1. 2. 3. 4. 5.

tione receptum. Violant enim ipso facto conjuges hoc vinculum, nulla ratione penitus coacti, vel ex levitate, vel impatientia freni conjugalis, vel mera malitia ab invicem discedentes. † Mirum ergò non est, quod inter causas divortii referatur desertio, ne laquei conscientiæ personæ innocentis injiciantur propter delictum alienum Carpzov. *d. def. 56.* Unde beatus Lutherus: **Ich wolte keinen Buben lieber hencken und köpffen lassen / dann einen solchen Buben** vid. Dedeken. *Consil. matrim. rubr. de malitiosa desert. n. 2. p. 476.*

VI.

1. **Causa Efficiens Proxima** est **Jüdex**, qui ob discessionem unius conjugis sine justa ac probabili causa factam conjugium dissolvit, & parti desertæ ad alia vota transeundi potestatem concedit. 2. † Factum itaque Magistratus requiritur. Quamvis enim desertio conjugis malitiosa, principium præbeat, & initium separationis faciat, ipsa tamen separationis & divortii causa proxima & immediata non est; ut nisi separatio fuerit à magistratu per sententiam, prævio processu desertionis, facta, matrimonium 3. subsequens sit & dicatur nullum. Sed est tantum † causa Impulsiva, qua impellitur Magistratus per accidens facere id, quod contra legem matrimonialem & primævam institutionem conjugii est, nempè vinculum illud animorum perpetuum ac indissolubile 4. dissolvere. Ex quo communiter † Doctores dicunt: Quod malitiosa desertio perinde ac adulterium non dissolvat matrimonium ipso jure, sed causa tantùm separationis existat Carpzov. *l. 2. def. 170. num. 6.* Bach. *in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 6. th. ult. lit. f. p. 312.*

VII.

1. Ex quo jam manifestum est, privata authoritate & sine judicis sententia parti innocenti ad alia vota convolare non licere, sed furtivæ dicuntur nuptiæ, temerè contractæ, clancularìæ, non 2. publica contestatione interposita, *arg. l. 7. C. de repud.* etiamsi † desertio notoriè sit malitiosa, usque adeò ut bigamiæ crimen incurrat pars deserta, ante sententiam ad novas properans nuptias. 3. Hæc quippe † toties committitur, quoties cum publica illusione 4. conjugii durante priori matrimonio novum initur. Utut igitur † malitiosus desertor, quantum in se est, matrimoniale vinculum violare

violare dicatur, ſicque adeo matrimonium prius durare haud videatur: conſtat tamen, deſertionem malitioſam cauſam ſolùm eſſe divortii juſtam ac legitimam, ad divortium autem ipſum ac diſſolutionem matrimonii ſententiam judicis eſſe neceſſariam. Quamdiu ergo per † ſententiam judicis diſſolutum matrimonium non eſt, ad ſecundas nuptias tranſire parti deſertæ integrum non eſt, Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. l. 3. tit. 5. def. 67.* Quæ aſſertio limitatur, † quando præter deſertionem malitioſam, de bigamia vel adulterio deſertoris certò conſtat, quo caſu ſanè de adulterio quidem cognoſcit Judex, cauſaque cognita matrimonium diſſolvit, novo verò deſertionis proceſſu opus haud eſt Carpzov. *d. l. def. 69.* Domin, Richter. *in conſil. vol. 2. conſ. 337. num. 12.* ubi ita † JCtos Ienenſes pronunciaſſe refert, hisce verbis: **So wird obgedachte Frau von ihrem verloſſenem ehebrecheriſchen Manne/ohne fernere vorgehende offentliche** Citation **und ordenliche Rechtfertigung/nach Beſchaffenheit dieſer Sachen billich** abſol**virt und ſich anderwerts zu verheurathen ihr geſtattet.**

5. 6. 7.

VIII.

**Judex** autem hic requiritur **competens.** De competentia ergò Judicis ante omnia conſtare debet, ne, ſi incompetentis judicis cognitioni & deciſioni cauſa ſubjiciatur, fruſtrà agatur, & ſententia lata in fumum abeat. † Pontificii quidem ejusmodi cauſas inter ſpirituales referunt *arg. c. gaudemus X. de divort.* vid. Mæv. *ad Jus Lubec. p. 1. tit. 4. num. 16.* & conſequenter coram judicibus Eccleſiaſticis tantum ventilari poſſe. Sed † hæc ſententia ab his, qui jugum Pontificis excuſſerunt, jamdudum eſt rejecta vid. B. Luther. *tr.* **von Ehesachen** Mæv. *d. l. n. 39.* Unde etiam † matrimonialem cauſam quantum formam ejus & ſubſtantiam attinet, pro ſeculari habendam, multi cenſent, quos laudat Mæv. *d. l.* Ad cauſas † mixtas melius refert Petr. Frideric. Mindan. *de proceß. l. 1. c. 10. num. 2.* ut in Conſiſtoriis de illis cognoſcendum ſit à Politicis ſimul & Theologis, quos vulgo Judices **Conſiſtoriales** adpellant vid. Matth. Stephan. *de Juriſdict. l. 3. p. 1. c. 15. num. 4. v. 11.* Theod. Reinking. *de R. S. E. l. 3. cl. 1. c. 10. n. 7.* Finkelthus. *de jur. patron. c. 4. num. 14.* Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt.*

1. 2. 3. 4. 5.

6. *l. 1. def. 11. num. 9. & l. 3. def. 27. num. 7.* Et non † ſine ratione quidem, ſunt enim cauſæ matrimoniales magni præjudicii, maximè ubi agitur de divortio, ut meritò etiam Theologi ſuper hac quæſtione ſint conſulendi, qui ad exemplum Chriſti *Matth. 19. & Marc. 10.* ex verbo DEI oſtendant, quid cum norma inſtitutionis matrimonii divinæ conſentiat, quid pugnet Johann. Gerhard. *de conjug. tom. 7. §. 692. & ſeqq.* Reinking. *de R. S. & Eccl. d. c. 10. num. 23.* Beza *de divort. p. 245. §. ſed ad quos judices.*

IX.

1. Et hæc quæ de Judice competente jam dicta ſunt, ſine dubio vera ſunt & procedunt, quando agitur inter Status Imperii mediatos. 2. Aſt quid dicendum † ſi agatur inter Status Imperii immediatos, inter Doctores non convenit. 3. De † Pontificiæ Religioni addictis Statibus nulla eſt dubitatio. Poſtquàm enim cauſæ matrimoniales habentur pro ſpiritualibus jure Canonico, & per conſequens ad Judicem pertinent Eccleſiaſtiacum, Kizel. *de matrim. c. 10. th. 7.* Mæv. *d. l.* 4. Unde quando † lis eſt inter Status immediatos hujus religionis ipſi Pontificem pro judice agnoſcunt competente Bocer. *de jurisdict. c. 3. num. 8.* Blum. *de proceß. Cameral. tit. 43. num. 15.* 5. Inter † Evangelicos autem ſtatus quis Judex ſit competens, in cauſis matrimonialibus ubi de matrimonio agitur diſſolvendo definire pleriſque aqua hæſit, vid. Reinhing. *de R. S. E. l. 3. cl. 1. c. 10.* Myler. *de Princip. & Stat. Imper. c. 20.* 6. Usque adeò, † ut Cæſareæ Majeſtatis & Statuum Imperii deciſione indigere hanc quæſtionem ſuo quoque tempore cenſuerit Vultej. *ad l. 1. num. 49. in f. C. ubi Senatores vel Clariß.* Stöſser. *tr. de poteſt. Polit. circa ſacra th. 19.* Et juris publici Scriptores moderni unanimiter fatentur.

X.

1. Etenim ad Sacræ Cæſareæ Majeſtatis deciſionem etiam poſt Paſſavienſem transactionem & deſuper ſecutam pacem Religioſam has quoque cauſas matrimoniales, quatenus de diſſolutione vinculi matrimonialis agitur, pertinere exiſtimant quàm plurimi: 2. Nec † deſtituitur ſanè hæc opinio omni fundamento atque ratione. Conſtat enim, quod ab initio cauſæ etiam matrimoniales ad cognitionem pertinuerint Imperatorum, prout oſtendunt tot leges & re-

& rescripta corpori Juris inserta *tot. tit. ff. & C.* de sponsalibus, de divortiis & Repudiis. Imperatoria † quippe Jurisdictio est universalis, eidemque cura Sacrorum vel maximè incumbit vid. Dn. Conring. *de Majest. circa Sacra.* Quanquam † enim Pontifices sequiori tempore, ac præsertim in Imperio Romano Germanico causas matrimoniales ad suum forum traxerint conniventibus Imperatoribus, & jurisdictionem Ecclesiasticam sibi quasi fecerint propriam, postquam † tamen transactione Passaviensi, pace non tantùm Religiosa *R. A.* **zu Augspurg.** *de anno 1555. §. 20.* sed & Instrument. Pacis Osnabr. *art. 5. §. 1.* confirmata Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica, contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, status, eorumque Subditos usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa fuerit, non solum, sed etiam ad prædictos Status jure quasi postliminii devoluta. Reinking. *l. 3. cl. 1. c. 7. n. 19.* Christ. Weber. *d. jur. Consist. cap. 6.* Struv. *d. jur. Sacr. ad l. 13. C. d. Episcop. aud.* & † constitutum, ut intra territorii cujusque terminos Jus Diœcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica sese contineret, *d. art. 5.* † proindè ad imperatores ejusmodi Jurisdictionem Ecclesiasticam jure quasi postliminii rediisse, remque adeò in eum statum in quo antea fuerit, deductam, & consequenter has causas Ecclesiasticas & matrimoniales ad Tribunal Politicum pertinere censeant nonnulli, quorum † sententiæ non tantùm favere videtur *text. in Ord. Aul. Tit. 2. in pr.* ibi: **geist- und weltliche Sachen** / sed & hæc præprimis ratio: Quia, quemadmodum sese habent status alicujus immediati subditi ad principem suum ratione fori competentiæ, in causis tàm secularibus, quam Ecclesiasticis: ita etiam sese habere videntur Status Imperii immediati ad ipsum Imperatorem. Jam verò † constat quod post Transactionem Passaviensem suspensa, uti dictum, Jurisdictione Ecclesiastica in ditionibus Principum, qui Pontificis doctrinam ejurarunt, negotia ejusmodi Ecclesiastica coram his, vel Consistoriis Ecclesiasticis, quæ partim ex Theologis, partim ex JCtis constant, tractari cœperint. *d. Receß. Imper. de anno 1555.* **§. damit auch obberührte.** Et in causis quoque Ecclesiasticis tàm Clerici, quàm Laici coram his forum sortiantur. Proinde † pariter sese habere videntur Principes & Status ad Imperatorem, ut in

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

in his quoque causis non alium habeant Judicem, quàm Imperatorem. Hæcque † sententia noviter Patronum agnoscit Doctissimum Virum Dn. Wolfigang. Textorem *in disp. ad Recess. Imper. disp. 1. thes. 74. & seqq.* ubi à parte protestantium nihil Jurisdictioni Cæsareæ in causis matrimonialibus obstare tradit.

XI.

Quanquam verò inter statuum Subditos & Principes Imperii in eo ratio diversitatis manifesta adpareat, quod Sacra Cæs. Majest. juxta Pontificæ Religionis, quam profitetur, principia, in ejusmodi causis, Romani Pontificis judicio haud dubiè, vel sponte sese sit subjectura, quod utique non nisi, cum maximo præjudicio ipsorum Protestantium, fieri posset ut † indè Ipsa Jurisdictio Ecclesiastica Statuum August. Confess. revera & in effectu contra Pontificem suspensa non esset, sed deterioris potius conditionis redderentur status Immediati Augustanæ Confessioni addicti, quàm eorum subditi; † sciendum tamen, quod, utut Jurisdictio, quam Pontifex sibi in causis Ecclesiasticis adversus suæ religioni addictos, ipsumque adeò Imperatorem vindicat, per Transactionem Passaviensem non sit suspensa, suspensa tamen sit ejusdem Potestas in omnibus, qui non sunt Pontificiæ Religioni addicti, † proinde in respectu, qui est inter Imperatorem tanquam caput, & Status Imperii Augustanæ Confessionis, tanquam membra eidem subjecta, res ad pristinum omninò statum, qut fuit, antequam Pontifices soli potestatem in causis Ecclesiasticis usurparint, sibique quodammodo propriam fecerint, videtur reducta. Dn. Textor. *d. l. thes. 76.* ibi: *Ergo hoc tantùm restat, ut ad Imperatorem velut postliminio quodam facultas inter Status Evangelicos circa causas matrimoniales cognoscendi dicatur rediisse.* Jam † verò sicut religio ipsa ad Potestatis Politicæ curam pertinet ac sollicitudinem, ita etiam potestas judicandi in causis Ecclesiasticis.

XII.

Verùm enim verò ex celeberrimis Juris Publici Scriptoribus sunt quàm Plurimi, nullam Imperatori in Status Augustanæ Confessionis in causis istiusmodi matrimonialibus tribuentes Jurisdictionem Reinking. *de R. S. & Eccles. l. 3. cl. 1. c. 10. num. 32.* Limnæ. *de Jur. Publ. Imper. Roman. l. 4. c. 8. num. 90.* Blum. *de process. Cam-*

*mer. c. 43. num. 15.* Myler. *de Stat. Imper. c. 20. num. 19.* Bocer. *tract. de jurisd. cap. 3. num. 80.* ibi: *siquidem Imperatorem Judicem habere non possunt.* Utut enim † Imperatores vi Jurisdictionis Universalis cognitionem quoque in causis Ecclesiasticis habeant, per superius tradita, certum tamen est, quod Imperator in causis matrimonialibus ante Pacem Religiosam, Instrumento Pacis Osnabrugensis confirmatam, nullam Jurisdictionem exercuerit, sed Pontifici Romano, & Personis Ecclesiasticis has causas decidendas reliquerit, tantùm verò † abest, ut per pacem Religiosam, vel Instrumentum Pacis, Imperatori, quam ante non habuit & sic exercere non potuit, Jurisdictio in causis Ecclesiasticis in Status Imperii Augustanæ Confessionis sit concessa, ut potius credibile sit, Status Imperii August. Confession. suspensa, uti dictum, Jurisdictione Ecclesiastica, Cæsari secundum principia Pontificiorum haud dubio judicaturo nunquam sese submissuros. Imò, quis unquam imponet Statibus A. C. ut in hisce causis Imperatorem, qui nec in hæreditariis suis Provinciis ac districtibus in Subditos territorii Jurisdictionem Ecclesiasticam habet, pro Judice agnoscant. 2. 3.

XIII.

Sunt alii, qui causas matrimoniales, si eæ inter Status, qui Augustanæ sunt Confessionis, exsurgant, ad Imperatorem hactenus pertinere existimant, ut certos ipse Commissarios familiæ alicujus Illustris, dictæ A. C. addictos, constituat, hisque causarum istiusmodi matrimonialium decisionem injungat, quemadmodũ hoc ipsum exemplis quibusdam ostendit Dn. Myler. *d. tr. de Princip. & Stat. Imper. Rom. c. 20. num. 20.* Verùm enim verò, † Commissarii ab Imperatore constituti, cum nihil aliud sint, quam Judices delegati, quibus scil. cognitio in causa delegata vel mandata est, delegare autem † non possit, qui non habet jurisdictionem ratione causæ vel personæ, nec cognitor datus ipsi debeat obsequi, vel si id fecerit, omnia sint irrita *l. un. C. qui pro sua jurisd. jud.* quia, ut aliis causa delegari possit, necesse est, ut is, qui delegavit, de causa potuerit cognoscere Molin. *de Just. & Jur. tom. 5. d. 16. n. 3.* cùm delegatorum potestas ex persona & potestate delegantis dependeat *C. sanè 11. c. 29. X. de potest. & offic. Jud. deleg.* Brunn. *d. l. un. C.* Proinde † & hæc sententia ab aliis rejicitur. 1. 2. 3. 4.

XIV. Ad

XIV.

1. Ad Cameram Imperii dijudicatio causarum matrimonialium, ubi de dissolutione vinculi, (uti hic) agitur, videbatur sanè optima ratione pertinere, cum constet, Cameram † non solùm ex secularium, sed etiam Ecclesiasticorum Principum, & communi omnium statuum conventione atque adeò eorum etiam, qui de causis matrimonialibus, cognoscendi & statuendi jus habent, constitutam esse. Quod in illis † personis & Statibus, qui privilegiatam Austregarum instantiam non habent, admittit Petr. Frideric. Mind. *de Proceß. l. 1. c. 10. num. 4.* nec alienus est ab hac sententia † Dominus Mævius *ad Jus Lubec. l. 1. tit. 4. num. 48.* ubi scribit: *Ex eodem fundamento neq; Cameræ, neq; Austregis inter Protestantes cognitionem hodiè denegare possumus.* Quibus adde Bocer. *de jurisd. c. 3. num. 80.* sed rectius alii hoc non admittunt. Constat enim † cognitionem causarum matrimonialium Cameræ in ipsa erectione concessam non esse, cum illo tempore Pontifices hoc jus sibi soli vindicarint. Suspensa verò † per pacem Religiosam Ecclesiastica Jurisdictione adhuc idem dicendum esse, adparet ex memoriali Cameræ intimato in Comitiis Spirensibus anni 1570 §. wann auch der Kaiserlichen. cujus mentionem facit Petrus Demaisius *ad Jus Camer. §. 187. verb.* matrimoniales causæ, Gail. *l. 1. observ. 112. in f.* nec non Reinking. *de R. S. & E. l. 3. cl. 1. c. 10. num. 29.* Limn. *de jur. Publ. l. 4. c. 8. num. 92.* ubi † expresè Cameræ Assessoribus demandatum, ne causas matrimoniales admittant; nec admisisse unquam sed appellationem quoque desuper factam rejectam præjudicio confirmat Dn. Myler. *d. tr. de Princip. c. 20. num. 19.* Reinking. *d. l. num. 33.* Caspar. Leipold. *de concurrent. Jurisd. in Imper. Roman. qu. 7.* Adde Limn. *d. l. num. 92. & seqq.* Blum. *pr. Camer. tit. 43. n. 14.*

2. 3. 4. 5. 6. 7.

XV.

1. Austregæ, in causis hujusmodi matrimonialibus an judices esse possint, disquirendum nunc venit. Dubitativè Respondet Dn. Schütz. *in Colleg. Jur. Publ. vol. 2. disp. 3. th. 13. l. c. p. 110. in med.* ibi: *Nec de Austregali judicio hoc in casu, ut competente, certum sit, sed dubitetur.* Verùm † non esse his denegandam prædictarum causarum decisionem scribit Dn. Mæv. *ad Jus Lubec. l. 1. t. 4. n. 48.*

2.

multisque

multisque rationibus defendit Limnæus *de jure Public. l. 4. c. 8. n. 96.* Hancque viam, ut legitimam, nec improbandam agnoscit post alios etiam Caspar. Ziegler. *commun. conclus. §. Austrega conclus. 2. num. 1. & seqq.* Et † ita quoque antè quadriennium ferè in causa quadam satis ardua respondit Vir in Publico & privato Jure Consultissimus. Prostabilienda † hac sententia hæc ferè adferri solent: Quod nempè Austregæ sint Judices, quibus publica Imperii lege certorum Ordinum Imperii res controversæ juxta formam & modum Ordinationis præscriptum examinandæ & decidendæ committuntur. **Cammer-Gerichts Ordnung.** *part. 2. tit. 2. & seqq.* Habent ergò juxta † communem sententiam Austregæ potestatem judicandi in omnibus illis causis, quæ specialiter non sunt exceptæ, prout hanc regulam exstruit Limn. *de jure publ. l. 9. c. de Austregis 5. num. 60.* Idque † argumento *Ordin. Cam. p. 2. tit. 2. §.* **Item mit Rechtfertigung** **rc.** ibi: **umb Spruch und Forderung.** (quo nomine lites omnes atque causas venire tradit Besold. *thes. pract. voc.* **Spruch und Forderung.**) adde *tit. 4. pr.* ibi: **warumb oder was Ursachen das wäre rc.** vid. Reinking. *d. l. n. 37. & seqq.* Jam verò † ab objecto hujus cognitionis & judicii causas matrimoniales esse expressè & specialiter exceptas, ex nullo Juris publici textu demonstrari potest. E. Unde, cum † in causis quoque criminalibus Austregas, cognoscere posse multi censeant Limn. *de jure Publ. dict. tit. de Austreg. n. 60. & seqq.* Zasius 2. *consil. 3. num. 27.* Umm. *disput. ad Proceß. 4. th. 10. n. 52.* mirum non est, quod de causis matrimonialibus idem asserant.

3. 4. 5. 6. 7. 8.

XVI.

E contrario nullam Austregis in causis matrimonialibus competere jurisdictionem censent quàm plurimi; Reinking. *de R. S. & Eccl. l. 3. cl. 1. c. 10. num. 42. & seqq.* Schubhard. de Austreg. *c. 5. num. 88.* Bocer. *de jurisd. c. 3. num. 80.* Myler. *de Princip. & Statib. Imper. c. 20. num. 19.* Quod nempè † Austregarum Judicium nihil aliud sit quàm exemtum Judicium à Jurisdictione Cameræ in eum scil. finem institutum, ne deterioris sint conditionis Immediati Status, quàm ipsi mediati Imperii Cives, plures instantias habentes Dn. Schüz. *in Colleg. Jur. publ. d. l. p. 110.* Jam verò † quemadmodum causæ matrimoniales in prima instantia ad Cameram non pertinent, ita nec ad Austregas. Deinde si † Austregæ sunt,

1. 2. 3. 4.



Commis-

Commissarii Imperatoris, (prout illi ita vocantur *in Ord. Cam. p. 2. tit. 2. §.* darauff ibi: als Kaiserlicher Commissarius in Krafft der Commission, & paulò post: und soll derselbig unser erkorne Commissarius,) Et † Commissarius est Judex, cui potestas co-
5. gnoscendi & judicandi delegata sive mandata est, non poterit sanè cognitio causarum matrimonialium Austregis ab Imperatore esse demandata, per rationes quæ supra th. 13. sunt adductæ. Adde Reinking. & Schüz. *dd. ll.*

XVII.

1. Cùm autem nec Imperatoris jurisdictio in causis hisce sit fundata, nec Camera easdem recipiat, nec de Austregali Judicio inter se Doctores conveniant, quis ergò tandem Judex, & quod forum
2. competens erit? Arbitris † sanè in dubio hasce causas attribuit Schubhard. *de Austreg. concl. 5. num. 6.* Verùm enim verò, ut ta-
3. ceamus, † quod compromisso vix locus hic esse possit, cum ut plurimum pars nocens sua voluntate nunquàm in arbitrum sit consen-
4. sura, hæc quoque via non caret difficultate. Causæ enim † matrimoniales, quoniam pro arduis reputantur, & criminalibus æquiparantur per tradita Gail. *2. observ. 94. pr.* proinde tale compro-
5. missum † in jure Canonico expressè improbatum *in c. pen. X. de in integr. restit.* ubi Gregorius Pontifex in fin. ita scribit: *In matrimoniali quoque causa, liberali, vel criminali, cum majores judices exigant, arbiter assumi nequit.*

XVIII.

1. Ad Consiliarios denique Rei conveniendi deferendas ejusmo-
2. di causas matrimoniales haud pauci existimant, quod alias is † qui superiorem non recognoscit simpliciter vel in certa causa, coram Consiliariis suis conveniri possit, remisso tamen prius eisdem solenniter juramento, quo Domino sunt obligati *arg. l. 14. de Jurisdict. Ordin. Camer. p. 2. tit. 4. §.* dieselben neun Räthe ibi: auch aller Gelübd und Eyd ledig seyn und bleiben. Brunnem. *ad d. l. 14.* Sichard. *ad l. 1. num. 3. & 4. C. eod.* Dn. Schüz. in Colleg. Juris publici *vol. 2. disp. 3. th. 13. p. 110. inf.* Prukmann. *consil. 36. num. 12. & seqq.* Menoch. *1. cons. 2. num. 116.* Myler. *d. l. num. 19.* Unde
3. etiam † ipsum Imperatorem coram Electore Palatino conveniri
4. posse constat ex Aurea Bulla *cap. 5. §. 3.* Manifestum autem est, †

Principes

Principes & Status Imperii August. Confess. in causis matrimonialibus propter suspensam Jurisdictionem Pontificiam non aliter censeri debere, ac si superiorem non recognoscant Limn. *d. c. 8. n. 94.* Reinking. *d. l. n. 51.* Schüz. *d. l. inf.* Sanè, si † utraque pars ejusmodi judició sese spontè subjiciat, res difficultate videtur carere *d. l. 14.* Per consensum enim tollitur paritas & majoritas, quæ causa impedimenti erat Bartol. *ad d. l. 14.* Surdus *consil. 47. num. 5. §. 9.* Scacc. *de Adpellat. qu. 2. num. 10.* Dn. Tabor. *ad Barbos. locupl. voc. par ax. 5.* 4.

XIX.

Sed quid dicendum, † si is qui superiorem non recognoscit, consentire nolit? Sanè hic militabit communis illa Juris regula: Quod par in parem vel superiorem non habeat imperium *arg. l. 4. ff. de recept. arbitr. l. 13. §. 4. ad Sct. Trebell.* Dn. Tabor. *d. l.* Unde etiam † Doctores, qui ad Consiliarios causam deferunt, communiter de eo casu, quo utraque pars consentit, loquuntur. Itaque si † Reus ejusmodi Consistorio sese subjicere recuset, vis sanè compulsiva ad comparendum & exequendum ejusmodi Consistoriis non inesse videtur. Unde etiam adversus † Consistorium Augusti Ducis Saxoniæ, coram quo Dux Mekleburgicus conjugem suam ex causa desertionis convenire tentavit, inhibitionem Cæsaream emissam esse constat ex *Diar. Europ. part. 11. p. 548. pr.* multò minus verò † ad proprios Consiliarios Actor invito reo hanc causam deferre potest, quam viam maximè impugnavit Princeps Megapolitana in *Diar. Europ. part. 11. p. 545.* ibi: **Nach deme uns fürkommen / daß unser freundlich geliebter Herr Gemahl in unserer Mißverständnuß einige dero** ministros **vermeintlich zu Richtern** constituirt / *junct. p. 594.* **dieser vermeinten Richter** Jurisdiction **auff keinerley Weeg** fundirt **seyn könne** / *& seq. p. 548.* **noch weniger aber** in propria causa, **da sie Partie Stelle vertretten / zu gleich** Judex **seyn / noch die** Jurisdiction, **so sie selbst nicht haben** / demandi**ren können.** vid. tamen *th. 22.* 1. 2. 3. 4. 5.

XX.

In tantà ergò opinionum diversitate suspendunt judicium suum Viri undiquaque celeberrimi, & cum † quæstionis tàm momentosæ decisio privatorum judicio vix tutò relinqui possit, publicam omnium, vel certè Evangelicorum Imperii Statuum decisionem & commune placitum quàm maximè exoptant. *Tutius* † 1. 2. 3.

*opinor, erit* (verba sunt Just. Sinold. Schüz. *in Colleg. Jur. publ. vol. 2. disp. 3. th. 13. l. c. ius.*) *si rem satis gravem, arduam & dubiam Imperatoriæ ac Statuum decisioni subjecerimus.* Adde Vultej. *ad l. 1. num. 49. in f. C. ubi Senat. vel Clariss.* Kizel. *de matrimon. c. 10. theor.*
4. *9. l. 6.* Utut autem † hæc quæstio in publicis Imperii Comitiis multoties jam fuerit proposita, urgentibus maximè Principibus Imperii Augustanæ Confessioni addictis, ejusdemque decisionem instanter sollicitantibus, hucusque tamen indecisa mansit. Et
5. vix est † ut hæc ipsa quæstio in hodiernis Imperii Comitiis pro-
6. ximè finem acceptura sit. Ne tamen interea † illi, qui de remedio aliquo cogitare in præsenti necesse habent, omni ope atque auxilio destituti, & sic gravissimo incontinentiæ & fornicationis periculo expositi sint, via tandem erit quærenda, qua in hoc casu tutò & citra læsionem conscientiæ sibi consulere possint.

XXI.

1. Quo ipso statim removemus rigidam eorum sententiam, qui existimant, licere parti desertæ confestim via facti, & privata authoritate matrimonium dirimere; quod nempe in re propria sibi jus dicere fas sit, ubi Judicis copia haberi nequit. Dd. ad *l. un. C. ne quis*
2. *in sua causa jud.* Suadendum potius † esset piis Principibus, ut hanc calamitatem & conjugii infelicitatem patienti animo ferant, ab ulteriori conjugio sese abstineant, causamque adeò totam justissimo Divino judicio submittant, qui in ejusmodi conjugem refractariam, & matrimonialis vinculi, quod DEUS sanctissimè alias custodiri voluit, violatricem, gravissimâ sine dubio pœnâ
3. animadversurus est. Sin verò Princeps † vel hoc consilio adquiescere nolit, cum certè invitus sub jugo injustæ servitutis non sit detinendus, vel alias splendor & dignitas familiæ postulet, ut Princeps ad alia vota transeundo illam in hæredibus suis conservet &
4. propaget, necessitas, † quæ legem facere vulgo dicitur Rosacorb. *observ. pract. c. 37. num. 32.* reddendo scil. licitum id, quod alias de jure non est licitum *c. 4. X. de reg. jur.* Barbos. *locuplet. l. 12. c. 5. ax. 16.* Dn. Richter. *cent. reg. jur. reg. 46.* admittet sanè hic aliquem judicem, utut alias non omni ex parte habilem. Vid. Excellentissimus Dominus Scheinemann. *in disputat. de Jurisdiction. thes. 16.*

XXII.

XXII.

Quæ itaque noſtra ſit ſententia, brevibus & quidem ſalvo aliorum judicio, exponere liceát. Arbitramur autem, quod † primò omnium reconciliatio inter ejusmodi conjuges ſit tentanda, & deſertrix monenda, ut ad Maritum deſertum redeat, ac debita officia matrimonialia præſtet. Quod ſi ipſa † hanc viam rejiciat, neque etiam coram propriis Conſiliariis rem decidi velit, ſecundum ea, quæ th. 19. ſunt dicta, videndum eſt, an in Arbitros, vel Auſtregas, conſenſura ſit, quam † viam utique non negligendam eſſe cenſemus ad fundandum eò melius judicium ſubſidiarium, & ut parti deſerenti, fatigatis ſic omnibus remediis, quærulandi occaſio abſcindatur, maximè cum & Auſtregas in cauſis hisce matrimonialibus cognoſcere & judicare poſſe exiſtiment Viri Celeberrimi, vid. *præced. th. 15.* & Schubhard. *de Auſtreg. concl. 5. num. 6.* Sin † verò illa vel conſentire nolit, vel Arbitri cauſam conſenſu partium ad ſe delatam recipere & determinare recuſent, poteſt Status † ejusmodi immediatus, adhibito aliorum etiam Aug. Conf. Statuum conſilio, cauſam ſuam ſincerè & cum omnibus facti circumſtantiis ad Academiam aliquam vel Conſiſtorium extraneum & non ſuſpectum transmittere, & petere, ut ibi à Theologis & JCtis pariter de qualitate cauſæ diligenter cognoſcatur, an nimirùm talis ſit, ut proceſſum deſertionis inſtituere poſſit. Quo facto † vel ex propriis Conſiliariis, remiſſo tamen prius juramento, quo Domino ſunt obligati (qua ratione etiam ejusmodi Conſiliarios in cauſa Principis ſui Judices eſſe poſſe conſtat ex *p. 2. t. 4. §.* dieſelben neun 2c. vid. Weſenbec. *ad tit. C. ne quis in ſua cauſ. Jud. in fin.* & Brunnem. *ibid.* & *ad l. 14. de Jurisdict.*) vel ex Theologis & JCtis ſuæ jurisdictioni non ſubjectis & ſuſpicione carentibus, Judicium aliquod extraordinarium formare poterit, & illis cauſam hanc decidendam committere. Quamvis autem ſine dubio † deſertrix quacunque ratione judicium hoc ſufflaminare vel declinare tentaverit, latitando fortè, ne citatio (quæ ùtique in hoc etiam judicio, ut abſens ad effectum divortii pro deſertrice haberi poſſit, neceſſaria eſt) ad domum, vel alias debito modo inſinuari poſſit, vel Mandatum inhibitorium ad falſas & importunas preces impetrando, non † deerunt tamen parti deſertæ remedia, quibus huic illuſioni occurri

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

10. possit, Citationem † enim Edictalem adversus latitantes legitimam reddet casus necessitatis, & contra rescriptum impetratum, ex una quidem parte æquitas causæ, ex altera verò malitia deserentis evidens, debito loco & tempore ostendi poterit.

XXIII.

1. Denique circa hanc quæstionem etiam hic notandum, quod illa, quæ de Judicis competentia in causis matrimonialibus controversa hactenus fuere, pertineant tantùm ad eum casum, quo de ipso matrimonii vinculo vel constituendo vel dissolvendo agitur.
2. Ceterum, † si non principaliter de substantia, juribus & viribus matrimonii lis sit, sed saltem de accidentibus aut consequentibus, puta dote, sævitia mariti, vel partes ad effectum legitimationis aut successionis de matrimonio disceptent, vel de partu alimentando, & reliquis denique, quæ circa tractationem matrimonialem contingunt, quæstio sit, ad Judicem Secularem & Ordinarium citra omnem controversiam pertinet vid. Reinking. *de R. S. & Eccles. d. l. num. 20. & seqq.* Blum. *de proceß. Camer. tit. 43. num. 17.*
3. Bocer. *de jurisd. c. 3. num. 47.* Ut hinc † rectè etiam exceptionem fori declinatoriam in hoc casu opposuerit Princeps Mekleburgica in *Diar. Europ. pag. 2. pag. 548.* ibi: **und umb so vil mehr / weilen man noch zur Zeit in solchen** terminis **nicht** versirt / **darüber ein geistlich Gericht** cognosciren **könte / massen unsere Strittigkeit das** vinculum matrimoniale **an sich selbsten nicht / sondern nur zeitliche Güther /** sævitiam maritalem, **Beschützung wider Gewalt / und Verschaffung der** alimenten **betrifft** *rc.* Idem etiam
4. dicendum, † si de nullitate Processus, Christian. Schwamman. *observ. Cam. 25. num. 45.* Mindan. *de Proceß. l. 1. c. 10. num. 4.* vel ad possessionem matrimonii redintegrandam remediis possessoriis agatur Reinking. *d. l. num. 20.* Bocer. *d. l.* Mæv. *ad Jus Lubec. p. 1. tit. 4.* Myler. *d. c. 20. n. 21.*

XXIV.

1. **Subjectum** hujus divortii constituunt **Conjuges**, sive sint verè tales, inter quos scil. matrimonium per sacerdotalem benedictionem ritè ac legitimè fuit contractum, sive tales per extensio-
2. nem legis. In † sponsalibus enim etiam obtinere divortium ex causa desertionis malitiosæ certissimum est; imò facilius sponsalia

per

per repudium, quam nuptiæ per divortium dirimuntur. Quamvis enim ſponſalia † contracta matrimonium propriè non ſint, 3. ſive de ſponſalibus de præſenti ſit ſermo, ſive de futuro, ſed ſpes tantùm matrimonii dicantur. *l. 13. §. 3. de adult.* ac proindè non conſtituto vinculo matrimoniali nec ejus diſſolutione opus videatur. Attamen † quia per ſponſalia contrahitur etiam obligatio 4. inter ſponſum & ſponſam, & vinculum inter eosdem conſtituitur non matrimoniale quidem ſed ſponſalitium tamen, quod privata auctoritate divelli nequit, & rectè quoque de his dici poteſt illud: *Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Carpz. *J. C. l. 3. tit. 5. def. 57.* Propterea † ſi ſponſus ante Sacerdotalem benedictionem dis- 5. ceſſerit absque juſta & legitima cauſa, ac proinde ad matrimonii perfectionem & conſummationem debito modo compelli nequeat, ex hac quoque cauſa diſſolvenda veniunt ſponſalia, partique deſertæ ad alia vota tranſire licebit, *arg. l. 2. C. de Sponſal. l. 2. C. de repud. c. 5. X. de Sponſal.* Carpzov. *d. def. 57.* Quod etiam de † ju- 6. re Wirtembergico verum eſt. *arg. §.* jedoch *part. 4. tit. 2.* F. W. L. & eorum quæ habet Plebſt. & Beſold. *d. l.*

XXV.

Inter quascunque igitur perſonas vinculum matrimoniale 1. conſtitutum non eſt, inter illas nec divortium propriè ſic dictum locum habet. Unde ſi de facto † matrimonium contraxerint il- 2. li, qui verb. gr. propter gradus proximitatem jungi nequeunt, ſi poſtea maritus uxorem malitiosè deſerat, & poſt ejus diſceſſum Magiſtratui adpareat, inter has perſonas propter inhabilitatem ſubjecti matrimonium nunquàm fuiſſe, ad implorationem quidem, partem deſertam per ſententiam declaratoriam à deſerente liberabit, & pronunciabit, **daß zwischen diesen beiden Personen auch niemals keine Ehe gewesen;** illa tamen liberatio divortium propriè non eſt. Quemadmodum † etiam nec in tali caſu adulterium 3. propriè committitur, utpotè quod legitimam copulam & vinculum matrimoniale præſupponit, quo deficiente certè nec de adulterio quæri poterit, matrimonium enim, quod nullum eſt, violari nequit. Unde † etiam ejusmodi conjugem cum extranea perſona rem ha- 4. bentem adulterii pœna ordinaria non eſſe afficiendum tradit. Chriſtoph. Beſold. *p. 4. conſ. 144. num. 67.* Utut certè talis concubitus

durius

durius quàm simplex stuprum puniri debeat, *arg. l. 13. §. 4. ad*
5. *Leg. Jul. de adult. coercend.* Quia † talis delinquens sanè hoc casu adulterium committere intendit, licet revera & formaliter non committat. Illud denique non refert, uterque conjugum fide-
6. lis sit, vel alteruter tantùm. † Utut enim Apostolus mentionem faciat ejus desertionis tantùm, qua infidelis fidelem conjugem derelinquit, id tamen ad malitiosam desertionem quamcunque rectè
7. extendi potest. Qui enim † suos negligit, maximè domesticos, fidem negavit, & Ethnico seu infideli deterior evasit, *1. Timoth. 5. vers. 8.* Præterea Paulus *1. Corinth. 7.* rationem divortii non ponit in infidelitate, sed in discessu, & denegatione cohabitationis; unde nec conjux fidelis infidelem cohabitare volentem dimittere potest, *d. l. v. 13.*

XXVI.

1. Objectum hujus nostri divortii est vinculum ipsum matrimoniale, itidem vel revera tale, sive quod per matrimonialem consensum, quo potestatem corporis maritus in uxorem transfert, potestatemque sui corporis vicissim ab uxore recipit, coram facie Ecclesiæ, & interventu benedictionis sacerdotalis est constitutum,
2. vel sponsalitium. Divortio enim ex † causa malitiosæ desertionis per sententiam Judicis facto vinculum matrimoniale non minus dissolvitur, secundum sententiam veriorem in terris A. C. receptam, de quo latius infra, ac propter fornicationem. Quo i-
3. pso † ab ea separatione, quæ fit quoad thorum & mensam distingui palàm est. Hic enim durante ipso vinculo matrimoniali ex necessitate quadam inevitabili fit separatio quoad habitationem tan-
4. tùm, usque dum secuta fuerit reconciliatio. Unde sic † separata persona; tametsi nullam dederit causam separationi, cum alia persona concumbens, revera adulterium, cujus nempè formale est violatio thori proprii per concubitum cum persona extranea factũ, committit, quia tamen non lædit societatem conjugalem, inimicitiis & odiis propemodum jam dissolutam in eo gradu, in quo alias lædunt, qui semper & perfectè conjuges manserunt, eapropter ordinaria pœna adulterii locum non habet Carpzov. *Procéss. Cr. quæst. 61. num. 53.*

XXVII.

1. Nunc agendum de forma hujus separationis & divortii quæ in

eo consistit, ut, quæ de jure vel statutario, vel consuetudinario, ad processum desertionis requiruntur, ritè observentur, ne alias totus processus corruat & nullitatis vitio laboret. Ubi † monendum separanda hic esse illa, quæ processum desertionis præcedunt & ad impetrandum illum sunt necessaria, ab his, quæ impetrato jam illo, veniunt observanda. Ad † impetrandum processum separationis ex parte ejus, qui petit, requiritur supplicatio pro impetrando processu. Neque enim Judex † ex officio, etiam, ubi de malitiosa desertione apertè & notoriè constat, processum desertionis instituit, vel matrimonium dissolvit, sed imploratione & supplicatione partis desertæ hic opus est, qua neglecta, etiamsi post multos demùm annos maritus reversus fuerit, eundem tamen uxor recipere tenetur, reservata Magistratui Politico pœna desertionis publica. † Quemadmodum Jenenses Theologos anno 1598. die 15. Febr. respondisse refert Dedeken. *in consil. matrim. rubr. de divort. ex causa desert. num. 11. p. 485.* 2. 3. 4. 5.

XXVIII.

Supplicationem sequitur **diligens causæ cognitio.** Cantè enim, & circumspectè in hac causa procedendum, ne scil. pro desertore declaretur, qui justam & probabilem discedendi & absentiæ suæ causam habet, sicque adeò grave & irreparabile præjudicium citando incurrat, Carpzov. *Jur. Cons. l. 3. tit. 5. def. 59.* Joh. Balthas. Manso *Illustr. decis. Notab. 8. n. 7.* Ante omnia ergò † Judex an citandus sit absens, deindè de qualitate absentiæ cognoscit. Absentia enim † seu discessio conjugis primò omnium necessaria est. Quando enim præsens conjux, ex nulla justa causa cohabitare conjugi recusat, ad dissolutionem vinculi minimè pervenitur, sed officio judicis ad cohabitandum compellitur. (Unde † Beza *de divort. p. 105. verbo*, inquit, *Dei conveniens non est, ut ob desertionem dirimatur matrimonium, cum utraque persona in Ecclesiæ potestate est, ita ut nocens persona pœnis tùm Ecclesiasticis, tùm etiam, si necessitas postulat, civilibus ad faciendum conjugis officium, ut Christianum hominem & honestum civem decet, cogi queat;*) vel, si v. c. ob sævitiam mariti cohabitationem detrectet, separatio fit quoad thorum & mensam. Quemadmodum verò contra malitiosos desertores & in loco præsentes sit procedendum *vid. Constit. Saxon.* 1. 2. 3. 4.

5. *p. 2. quæst. 28.* Quod si tamen † nulla ratione præsens ad cohabitandum compelli possit, quia pertinax denegatio debiti conjugalis ipsi malitiosæ desertioni rectè æquiparatur, ideoque ex hac quoque causa matrimonium solvi posse dicendum est, quod maximè etiam consentaneum est verbis Apostoli *1. Cor. 7. v. 15.* ibi: *Quod*

6. *si (infidelis) cohabitare nolit.* Deinde, uti † loquitur Besold. *vol. 3. cons. 26. n. 27.* **dieser/so gegenwärtig/und mit keinem Zwang kan zur** Cohabitation **gebracht werden / ist** in vera contumacia, **und** majori contemtu Magistratus, **dann der** Desertor **so abwesend und** fictè contumax **sich befindet.**

XXIX.

1. *Secundo* requiritur discessio sine justa ac probabili causa facta vid. **Fürstlich. Würtemb. Landr.** *pag. 2. tit. 32. pr.* ibi: **so eines von dem andern ohne redliche Ursachen sich hinweg be-**

2. **giebet.** Excluditur ergò † absentia *primò* necessaria laudabilis, qualis est eorum, qui ex necessitate officii vel Reipubl. causa absunt, ut Legatorum: Tantùm enim abest, ut pro desertoribus hi sint habendi, ut potius olim placitum, ne fœminæ in socios aut gentes exteras traherentur, differente Cæcina apud *Tacit.*

3. *3. annal.* ubi enumerat † incommoda, si uxores comitarentur maritos in provincias, quia, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectarentur, Dn. Forstn. *in not. Pol. ad l. 3.*

4. *annal. p. 196. & seqq.* Verùm enim verò † cum ea separatio mariti ab uxore aliquatenus sit dura, sensim hoc legatis permissum esse testis est Ulpian. *in l. 4. §. 2.* ibi: *Proficisci autem proconsulem melius est quidem sine uxore, sed & cum uxore potest, ff. de offic. pro-*

5. *cons.* Bachov. *ad d. l. 4. §. 2.* Unde & illis uxoribus, † quæ cum maritis Reip. causa absentibus peregrinantur & absunt, ad exemplum militum & absentium Reipubl. causa subveniri solet, si interim per absentiam aliquod damnum passi fuerint *l. 1. 2. C. de uxor. milit.* ubi plura Perez; ut quibus officium publicum non debet esse damnosum, non sit etiam uxoribus eorum, Dn. D. Pregizer. *in dissert. inaug. de his qui Reipubl. causa absunt th. 13.* Sine u-

6. xoribus autem † si profecti fuerint, expectare maritum uxor debet, donec de ejus morte constet. *arg. Nov. 117. c. 11. c. in præsenti extr. de sponsal. c. 2. X. de secund. nupt.* Add. Dedeken. *consil. matrim. rubr. de divort. ex causa desert. n. 15. p. 488.*

XXX.

XXX.

Excluditur etiam absentia necessaria vituperabilis quæ contingit in illis, qui propter delictum aliquod pœnæ loco abesse coguntur, ut sunt relegati, deportati. † Quamvis enim inter Doctores maximè controvertatur, utrum uxor maritum propter delictum relegatum sequi teneatur? Affirmativum enim post alios defendit Hartmann Pistor. *observ. 148.* Anton. Perez. *in C. tit. de nupt. num. 21.* Alii verò † monendam uxorem, sed non compellendam, ut maritum relegatum sequatur, existimant, Christoph. Philipp. Richt. *p. 1. decis. 9. num. 8.* Heig. *p. 2. q. 14. num. 26.* ubi etiam Collegium Jenense ita pronuntiasse testatur; **daß das Weib ihrem Mann aus der Herrschafft zu folgen fleissig angemahnet werde / sie kan aber wider ihren Willen darzu nicht getrungen werden.** Denique alii, † hoc ipsum judicis arbitrio relinquunt, qui cognoscere debeat, an videlicet uxor habeat justas excusationis causas nec ne, Carpz. *I. C. p. 2. def. 130.* In eo tamen † omnes conveniunt, quod pars innocens ex hac causa ad dissolutionem vinculi matrimonialis agere minimè possit, idque *arg. l. 1. C. de repud. l. res uxoris 24. in med. C. de donat. int. vir. & ux.* Besold. *vol. 3. cons. 96. num. 6.* Dn. Richter. *vol. 2. cons. 408.* ubi JCtos ita respondisse refert: **Ob nun wol der ausgebrochene Diebstal und darauff erfolgte Bestraffung keine genugsame Ursach zur Ehescheidung** ꝛc. Bidenbach. *de causis matrim. cap. 6. quæst. ultim.* Cöpp. *l. 1. observ. 48.*

1. 2. 3. 4. 5.

XXXI.

Verùm, quid dicendum de illis, qui cum crimen aliquod commisissent, propter quod morte puniendi essent, metu pœnæ absunt, an & hi pro desertoribus malitiosis sunt habendi? Illud certum est, † horum quoque absentiam esse voluntariam & vituperabilem, cum non minus peccet, qui pœnæ promeritæ se subducit; quam qui delinquit, quia tamen † hæc absentia non contrahitur ex ódio vel tædio conjugis, nec excludit simpliciter amorem conjugalem & voluntatem cohabitandi, ut potius reo ignoscendum sit, quacunque ratione vitam suam salvere cupienti, itaque hic † absens pro desertore malitioso non habendus, maximè, cum propter ipsum delictum, propter quod reus morte puniendus

1. 2. 3. 4.

 esset,

esset, matrimonium non dissolvatur Carpzov. *I. C. l. 2. t. 11. def.*
5. *101.* Unde etiam † secundum hanc sententiam Consistorium Misniense pronuntiasse refert Dedeken. *consil. matrim. rubr. de divort. ex causa desert. num. 21. p. 490.* daß / obwolen der Mann wegen einer falschen Müntz / deren er bezüchtiget / flüchtig worden und eine Zeit lang sein Weib sitzen lassen / so kan doch sein Weib / so er zu sich fordern lassen / vermög heiliger Schrifft wegen angezogener Verbrechung / noch zur Zeit von ihme nicht geschieden / noch loßgezehlet werden / Add. Christoph. Besold. *vol. 3. consf. 96.*
6. *num. 8. & seqq.* Beza *de divort. p. 219.* Felix Bidenbach. *d. l.* † Quæ tamen sententia limitatur, si propter delictum aufugiens declaraverit se ad conjugem suam derelictam nunquam reversurum, quo
7. casu separationem etiam fieri posse arbitramur, & ita † Consistorium N. in causa ejus, qui propter homicidium deseruerat uxorem, pronuntiasse refert Dedeken. *d. l. num. 21. p. 491.* Adde Be-
8. sold. *vol. 3. consf. 96. num. 16.* † Ita tamen, ut tota hæc res prudentis judicis arbitrio sit committenda, qui monere potius hoc casu conjugem debet, ut infelicitatem & calamitatem conjugis æquo animo sustineat, & ab aliis nuptiis abstineat, & nonnisi ex justissimis causis ad divortium perveniet. vid. Besold. *d. consf. 96.*

XXXII.

1. Patet etiam ex supradictis pro malitioso desertore non habendum eum, qui ex causa quidem voluntaria sed laudabili abest, qualis eorum est absentia, qui in justa & honesta militia pro patria militant, quo casu uxor alteri nubere non potest, nisi mortem mariti docere & probare possit adhibitis solennitatibus, quas requirit
2. *auth. Hodiè C. de repud. & Nov. 117. c. 11.* Quem tamen † modum probandi non tantùm jure Canonico sublatum *c. 19. X. de spons.* sed etiam moribus nostris ab usu recessisse, & quocunque modo uxor mariti mortem probare possit, ad secundas nuptias eandem admittendam tradunt. *Prosper. Farin. pr. cr. p. 4. tit. 16. q. 140.* Menoch. *l. 2. A. I. Q. cent. 5. cas. 430. num. 145.* Berlich. *p.*
3. *4. concl. 28. num. 40.* Unde etiam † propter militiam justam divortium non esse concedendum defendit B. Gerhardus apud Dedeken. *d. l. num. 13.* Add. Christoph. Besold. *p. 5. consil. 248.* ubi *n. 3.* scribit: Es würde auch in Warheit vil Eheschçeidungen / und

mali-

malitiosos desertores **geben/ wann man die Soldaten/ so Weiber daheimbden/** pro talibus **allezeit halten wolte.** Idem dicendum, quando maritus consensu Uxoris in militiam est profectus, Dedeken. *d. l.* Si verò † maritus spe prædæ inductus vel ex mera malitia bellum sequatur, tunc, si certè conjuge omnibus modis reluctante, militare vitæ genus elegerit, pro malitioso desertore omninò habendus erit, sicque adeo divortium rectè petitur, maximè si de animo revertendi non constet Dedeken. *d. l. num. 13. & 15.* Voluntaria † quoque & indifferens absentia, v. c. quæ mercaturæ exercendæ gratia suscipitur, utut tempus, intra quod maritus se rediturum promisit, elapsum fuerit, non præbet tamen causam divortio sufficientem vid. Dedeken. *d. l. num. 15.* & B. Luther. *tom. 5. Jenens. Germ. tit. de causis matrim. p. 2. fol. 25.* 4. 5.

XXXIII.

Cæterum, ut propter absentiam conjugis divortium fieri possit, necesse est, ut absentia sit per tempus aliquod continuata. Divertisse enim † non videtur uxor, quæ brevi est reversura *l. quicquid 48. d. R. I. l. 33. de R. N.* Nec pro divortio verò habetur, quod non animo perpetuam constituendi dissensionem suscipitur *l. divortium 3. de divort.* Besold. *d. l. n. 4.* Tanta † ergò absentia requiritur, ut inde animus deserendi præsumi possit Carpzov. *J. C. lib. 3. tit. 5. def. 60.* Unde post undecim septimanas divortium petentem jure meritoque repulsum testatur Dedeken. *dict. loc. pag. 492.* Quantum verò † temporis spatium, ut propter absentiam & Processus Separationis rectè institui, & Separatio fieri possit, requiratur, in eo nec Dd. conveniunt, nec certum in jure definitum est tempus. Hic autem † distinguendum esse putamus inter sponsalia & matrimonium. In sponsalibus sponsa sponsum tenetur expectare per tempus, quod in sponsalibus est præfinitum. Sin autem nullum certum tempus fuerit præfixum, & sponsus quidem in eadem provincia degat, per biennium eum expectare debet sponsa, quo elapso liberè alii nubere potest. *l. 2. C. de Sponsal.* Secus si † extra Provinciam degat, quo casu triennium videtur necessarium *l. 2. C. de repud. d. l. 2.* Imò si sponsus justas habeat absentiæ suæ causas etiam quadriennium vel ulterius expectare debet *l. 17. ff. de sponsal.* De jure † Canonico si in aliam Provinciam 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

ſponſus ſeſe citra juſtam ac probabilem rationem contulerit, nec ſit ſpes maturioris reditus, poterit quidem etiam ſponſa abſolvi à Judice Eccleſiaſtico, & cum alio ſponſalia vel matrimonium contrahere, tempus autem, per quod ſponſum expectare debeat, non definitur. *c. de illis 5. X. de ſponſal.* & ibi Dd. Brunnem. *ad l. 2. C. de ſponſal.*

XXXIV.

1. An itaque quoad abſentiam ſponſi divortium faciat jus Ca-
2. nonicum haud incommodè quæritur? Ita quidem primo † intuitu videtur dicendum, dicit enim Pontifex in *d. c. 5.* quod ſponſa relicta alteri nubere poſſit, neque ullum tempus, per quod expe-
3. ctare debeat, definit. Cum tamen † ſponſum vel per biennium juxta *d. l. 2. C. de ſponſal.* vel triennium juxta *l. 2. C. de repud.* expectandum eſſe ex jure civili oſtendi poſſit. vid. Dn. Richter. *vol.*
4. *2. conſ. 106. num. 6.* Exiſtimamus tamen, † Jus Canonicum hic planè non adverſari juri Civili; eo ipſo enim, dum in hoc *c. 5.* ſponſæ facultas conceditur ad alia vota tranſeundi, nulla facta mentione temporis, per quod ſponſum, antequam id fiat, expectare debeat, determinatio illius temporis diſpoſitioni juris communis
5. relicta cenſetur, maximè † cum in dubio inter Jus Canonicum & Civile nulla differentia ſit ſtatuenda, ut Dd. communiter tradunt *ad cap. 1. X. de nov. oper. nunt.* vide Canis. *ad cap. 5. X. de ſponſal.* Quicquid tamen ſit, illa ſive Juris Civilis, ſive Canonici diſpoſitio hodiè non ubique attenditur, neque certum aliquod tempus determinatum definitumve eſt, ſed potius ex arbitrio judicis pro varietate circumſtantiarum vel prorogari, vel reſtringi poterit; vid. *th. ſeq.*

XXXV.

1. Ceterùm ubi matrimonium ritè ac legitimè contractum eſt, etiam, quamdiu uxor maritum abſentem expectare teneatur, antequam ad aliud matrimonium tranſire poſſit, in jure civili ſatis definitum non eſt. Marito ſanè in militiam profecto poterat matrimonium bona gratia (mit gutem Willen) dirimi *l. 61. & 62. de donat. inter vir.* Quæ tamen diremtio juri Divino conveniens non eſt, neque enim mutuo diſſenſu matrimonium diſſolvitur, utut per talem conſenſum conſtituatur, quia partes hic conſentiunt in ſocietatem ex
2. ſe & natura ſua indiſſolubilem, † Sin verò marito in militiam profe-

profecto matrimonium bona gratia diremtū non fuerit, per certū m tempus uxor maritum expectere necesse habet. Et jure † novissimo quidem eò usque donec mortem mariti probare possit secundum formam in Novella *117. c. 11.* & exinde desumta *Authentica Hodiè C. de repud.* præscriptam, antequam ad alias nuptias possit transire. Ut itaque † hoc casu matrimonium non dissolvatur propterea, quod per tantum temporis spatium absens reputetur pro desertore malitioso, sed quod mortuus esse præsumendus sit. Extra militiæ † autem casum, quantum temporis spatium sufficiat ad hoc, ut ad aliud matrimonium transeundi potestas sit concessa, nihil quoque in jure dispositum reperitur, ut proinde temporis determinatio non immeritò judicis arbitrio relinqui debeat *arg. l. 1. §. 2. de jur. delib.* &, uti ante dictum, pro ratione circumstantiarum, vel augeri vel minui possit. v. c. ubi notoriè de desertione malitiosa constat, vel pars deserens apertè declaraverit, se in perpetuum cohabitare nolle Besold. *vol. 3. cons. 26. num. 28.* Cöppen. *l. 1. obs. 44. num. 15.* vel si subsit periculum fornicationis *arg. c. 5. X. ut lite non contest. §. porrò* Carpzov. *Jur. Cons. l. 3. t. 5. def. 60. num. 16.* aut tempus aliud nubendi opportunum sese offerat *arg. l. 2. C. de repud.* idem Carpzov. *d. l.* Unde † post novem annos divortium concessere Jenenses apud Dedeken. *consil. matrim. rubr. malitiosa desertio num. 31. p. 495.* post triennium Rostochienses apud eundem *num. 23. p. 492.* Biennium Wittebergenses *apud eundem num. 24. p. eod.* Jenenses apud Christoph. Philipp. Richter. *vol. 3. cons. 499. num. 5.* Post annum † & dimidium elapsum divortium fieri posse Serenissimus Elector Saxon. constituit *d. 21. April. anno 1608.* vid. Carpzov. *d. d. 60. in f.* Imò post spatium semestre non esse denegandum Lutherus est testis *Tom. 5. Genens. Germ. rubr.* **der ander Theil von Ehescheidung** *p. 254. §.* **aber darmit** ibi: **man soll zu erst aber dem einen Theil nicht gestatten sich so bald wider zu verehlichen / sondern zum wenigsten ein Jahr oder halbes zu verharren** *Id. fol. 255. §.* **über das** ibi.: **der ein Jahr oder halbes der massen ist weg gewesen.**

3. 4. 5. 6. 7.

XXXVI.

Quod si itaque Judici de malitiosa absentia & desertione certò vel probabiliter constet, (cum enim malitiosa deserentis voluntas ut plurimùm directò & manifestò probari nequeat, etiam præsumtionibus, non levibus tamen, hic locus erit) proximum est

1.

2. est, ut ipse Processum desertionis decernat, præcedente † tamen prius, ad petitionem partis desertæ legitima rei **citatione.** **Nulla** enim desertio ad effectum dirimendi vinculi matrimonialis pro
3. malitiosa habetur, antequàm citatio facta fuerit. † **Citatio** autem in processu desertionis debet esse *primò* **Edictalis publica**, citatorio in trium dominorum diversorum territoriis & districtibus, **In dreyer unterschidener Herren Landen** / affixo Joachim. à Beust.
4. *de matrim. p. 2. c. 27. v. & ejusmodi edicta.* Cum enim † desertor malitiosus ut plurimùm fugitivus & vagabundus sit, & ignoretur, ubi locorum subsistat, ut citatio ipsi non facilè in faciem insinuari possit, ideoque via extraordinaria & citatione edictali opus est. Gail. *cent. 1. obs. 57.* Carpzov. *de proceß. tit. 7. art. 4. num. 11.* Menoch. *remed. 8. recuper. poß. num. 17.* Mæv. *p. 1. decis. 253.* Utut enim
5. citatio † edictalis à communi jure exorbitans sit, ut non facilè ad illam deveniri possit Maranth. *in spec. part. 6. tit. de citat. num. 7.* Gail. *d. l. in pr.* & extra casum necessitatis adhibita sit nulla & invalida Menoch. *d. l. num. 111.* cum ad extraordinarium remedium non progrediendum, quamdiu ordinario locus est *arg. l. auxil. 37.*
6. *de minor.* Si tamen citatio † aliter nequeat insinuari, vel quod locus, ubi citari quis debet, non sit tutus *clem. 1. de jud.* vel quod citatus sit latens, & vel per se vel per alios faciat, quò minus citatio ad eum devenire possit *d. Clem.* Gail. *d. observ. 57. num.* 2. Schurff.
7. *cent. 1. conf. 82.* Vel quod † contradictor sit incertus, quod contingit in concursu creditorum, quem processum ideò à citatione Edictalem adpellant, vel denique quod citandus sit vagabundus, aut
8. latitans Maranth. *d. l. num. 84.* nil obstat, † quo minus quis etiam per edictum citari possit, ne alias reo facultas detur judicio sese
9. subtrahendi. Quod & omninò in † causa desertionis malitiosæ usu venire debet Carpzov. *I. C. l. 3. t. 5. d. 62. num. 14.* In Ducatu
10. hoc † Würtembergico requiritur quidem etiam citatio Edictalis, sed sufficit, si in uno saltem loco, & quidem, ubi citandus domicilium habet, citatorium prælectum, & postea adfixum fuerit.

XXXVII.

1. *Secundum* legitimæ citationis requisitum est, ut illa sit **peremtoria**, i. e. ut vel expresse citationi addatur verbum **peremtoriè**, vel hæc clausula comminatoria adjiciatur, si Reus non comparuerit, nihilominus judicem id facturum, quod jus & justitia postulaverit,

laverit, **so solle nichts desto weniger geschehen und ergehen/ was recht ist**/ quia hæc comminatio vim habet citationis peremtoriæ, etiamsi verbum peremtoriè expressum non sit Carpzov. *I. F. p. 1. c. 2. def. 22. num. 3. 4. & I. C. l. 3. t. 5. def. 64. n. 3. & seqq.* De jure Civili † citatio peremtoria regulariter post tertiam demùm dilatoriam fieri solet *l. 68. & seqq. de jud. l. 8. C. quomod. & quand. judex.*, quod tamen hodiè ubique ferè in desuetudinem abiit, ut sola adhuc recepta sit peremtoria citatio Carpz. *d. def. 22. n. 1. 2.* Brunnem. *de proceß. c. 3. num. 29.* modò tantundem temporis contineat, quàm alias tres dilatoriæ. Est autem † tempus hoc pro diversa locorũ consuetudine diversum quoque. De jure civili sunt dies triginta *arg. l. 72. de jud.* quod etiam in multis inferioribus judiciis adhuc hodiè observari testatur Brunnem. *d. c. 3. num. 31.* In Saxonia sunt 6. septimanæ & tres dies Carpzov, *d. def. 22. num. 5.* in Franconia sunt dies 36. In Electoratu Brandenburgico 6. septimanæ. In Camera ad minimùm dies 60. *Receß. Noviß. de anno 1654.* **§. würde darauff.** In Ducatu † Würtembergico dies 21. communiter citatorio solent inseri, **so geben wir ihme hiemit 7. für den ersten/ 7. für den andern/ und 7. für den letsten und endlichen Rechts-Tag.** Et currere † incipit hic terminus à tempore citationis insinuatæ, **von der Zeit der** Insinuation **oder deß Anschlags** Matth. Coler. *de proceß. execut. p. 1. decis. 107. n. 16. & decis. 104. num. 11.* Carpzov. *Jurispr. Consist. l. 3. tit. 5. def. 64. n. 8.*

2. 3. 4. 5.

## XXXVIII.

Cum autem non sufficiat reum citari, sed citationem quoque ei insinuari necesse sit, ut super contumaciam in casu non factæ comparationis Judex cum effectu decernere queat, Joseph. de Sese *in tract. de inhib. & execut. c. 5. §. 8. num. 49.* Quintil. Mandos. *de inhibit. q. 36. num. 7.* Adeòque † & hic via aliqua quærenda erit, ut citatio ad notitiam citati pervenire possit. Cùm autem in casu desertionis citatio ipsi citato, neque in faciem, neque ad domum ejus insinuari possit, qui alias est communis citationem insinuandi modus, Brunnem. *d. c. 3. num. 32.* Ideòque † universali ferè Germaniæ consuetudine receptum est, ut ejusmodi edictum citatorium in cœtu ac frequentia populi, post finitam concionem, publicè, ex sug-

1. 2. 3.

gestu, semel, bis, vel sæpius, pro diversa nimirùm loci consuetudine prælegeretur & sic omnibus notificaretur, vel in foro publico, foribus templi, vel curiæ adfigeretur, vel etiam utrumque fieret conjunctim (quod & in Ducatu Würtembergico obtinet,) ut ita citatio
4. publicata ad aures rei pervenire posset. Et habet † hæc prælectio vel adfixio citationis publica eundem effectum, quem vera & propria insinuatio, perinde ac si per nuntium juratum citatio ipsi reo insinuata esset Carpzov. *Jur. Conf. l. 3. t. 5. def. 63.*

## XXXIX.

1. Denique etiam circa citationem hanc notandum, quod, sicut alias ex relatione nuntii juratò deponentis, Carpzov. *de process. tit. 7. art. 1. num. 77. & seq.* vel sub fide juramenti, quo judicio est obstrictus, relationem suam confirmantis constare debet de executione seu insinuatione citationis. Brunnem. *d. c. 3. num. 36.* quæ relatio omninò necessaria est & de substantia citationis Græveus *l. 1.*
2. *conf. 54.* Christinæ *volum. 5. decis. 59. num. 35*: Ita & † hic quoque judici de insinuatione citationis constare debeat, antequàm contra Reum absentem, ut contumacem procedere possit, alias & citatio, & sententia, & processus erit nullus Robert. Maranth. *spec. part. 6. tit. de citat. num. 146. vers. & doctrinam hanc.* Cum au-
3. tem † in hac citatione edictali nullus interveniat nuntius, ideòque vicem ejus supplere debet attestatum Magistratus, qui in territorio
4. suo edictum prælegi vel affigi fecerit. Ut autem † hoc attestatum idem operetur, quod relatio nuntii, tria requiruntur: *Primò* ut sit clarum & expressum ratione loci, qualitatis & temporis, quo insinuatio facta, non obscurum aut ambiguum Joh. Baptist. Asin. *in pract. cap. 6. §. 9. numer. ultim. Secundò*, ut Magistratus manu propria conscriptum, vel certè sigillo ejus confirmatum & roboratum fuerit, ad instar relationis de insinuatione citationis per ipsum nuntium, non per alium factæ, Joseph. Mascard. *de probat. concl. 1179. num. 25.* Joh. Bajard. *in addit. ad Jul. Clar. q. 31. num. 19. Tertiò*, ut
5. † hoc attestatum ad acta referatur, ut ex eorum inspectione statim de insinuatione citationis constare possit. Maranth. *d. l. n. 55.*
6. Quibus observatis † citatio hæc edictalis perinde arctat, ac si citato in faciem vel ad domum facta esset, idemque operatur, quod

citatio

citatio personalis verè emissa, ita † ut processus, qui potest fieri contra citatum personaliter, dirigatur etiam contra citatum per edictum, Wurmbser. *l. 1. tit. 6. observ. 8.* Carpzov. *I. C. l. 3. t. 5. def. 63. num. 15.* 7.

XL.

Ad citationem legitimè emissam reus in Judicio ad defendendum sese sistit, aut contumaciter emanet. Cum autem quis † in judicio respondere possit non tantùm in persona propria, verùm etiam per procuratorem *t. t. Inst. de iis per quos ager. poss. & ff. de Procur.* Ante omnia videndum est, an in causa desertionis etiam Procurator vel defensor admitti debeat, & quidem si de † jure Civili sit sermo, dicendum omninò est, hic procuratorem intervenire posse. Est enim Edictum de procuratoribus prohibitorium. Ergò in qua causa quis procurator esse non prohibetur, in illa esse posse intelligitur *arg. l. 43. §. 1. de procur.* Atqui in causis matrimonialibus quis procurator esse nullibi prohibetur. De jure † Canonico idem est dicendum propter textum expressum *in c. 5. X. de procur.* Moribus tamen † nostris hanc juris civilis & Canonici dispositionem sublatam & litigantes coram consistoriis in causis matrimonialibus in propria persona comparere debere plurimi existimât, quod de foro † Saxonico in specie tradit & præjudiciis confirmat Carpzov. *I. C. l. 3. t. 3. def. 31.* & *tit. 5. def. 65.* in tantum, ut etiam fœmina, quæ alias hoc jure legitimam in judicio standi personam non habet, *Const. Elect. p. 2. const. 15. pr.* admittenda sit. *d. def. 31. & 65.* per rationes. *dd. ll.* allatas. Quicquid tamen sit, & licet † hoc in Saxonia ita obtineat, de aliis tamen Imperii Provinciis id ita temerè pronunciandum non est, aut sine expressa Sanctione vel consuetudine, quæ ab allegante est probanda, à dispositione juris Civilis & Canonici recedendum. In † Ducatu Würtembergico mulieres quidem sine curatore non admittuntur, Wibel. *de contract. mul. c. 3. §. 8. n. 173.* Pro marito tamen etiam defensor intervenire poterit, uti apparet ex formulis, quæ citatorio communiter inseri solent, **so entbieten wir allen seinen Freunden/Anverwanten/oder allen denen/die ihne in dem Rechten vertretten wollen.** 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

XLI.

Quando itaque Reus in judicio sese sistit, & defendere velit, 1.

velit, videndum eſt omninò, an juſtas abſentiæ ſuæ cauſas habeat, & docere poſſit, ſe verb. gr. caſu fortuito hoſtilitatis aut morbi detentum fuiſſe, quo † caſu tantùm abeſt, ut ad ſententiam condemnatoriam & divortium deveniri poſſit, ut potiùs priſtinum ſtatum & omnia jura recipere debeat. In hoc enim † deſertionis Proceſſu citationes fiunt non eum in finem, ut divortium mox fieri poſſit, ſed primariò, ut deſertor ad reditum compellatur. Gerh. *de Conjug. cap. 10. num. 706.* Reverſus † itaque pro malitioſo deſertore haberi nequit. *Is enim demum*, inquit Gerhard. *d. l. num. 626. cenſendus eſt deſertor, qui privatis admonitionibus vel publicis citationibus ſeſe revocari non patitur.* Et quæ † contra illum abſentem, qui ex nulla juſta & probabili cauſa à conjuge diſcedit, ſtat præſumptio de malitioſa deſertione, iterum tollitur, ſi ad emiſſam citationem à Magiſtratu compareat. Sin verò cauſam † abſentiæ ſuæ juſtam docere non poſſit, & confiteatur, ſe quidem animo deſerendi conjugem diſceſiſſe, ſed ejus facti pœnitentia ductum rediiſſe, adhuc dicendum videtur, divortio locum non eſſe, an verò etiam rediens hoc caſu dotem, donationem propter nuptias, aliave bona amittat, ubi ſcilicet divortium ſecutum non eſt, inter Doctores maximè controvertitur. De qua tamen quæſtione in ſequentibus erit dicendum. Sine dubio tamen poteſt † hoc caſu reus à judice extra ordinem carcere vel alia pœna arbitraria coerceri. Et hoc procedit, ſi reus re adhuc integra ante ſententiam ſuper deſertione latam comparuerit, termino in citatione præfixo nondum effluxo.

2\. 3. 4. 5. 6. 7.

XLII.

1\. Si enim poſt ſententiam definitivam ſuper deſertione latam & facto jam divortio demum compareat, vel pœnitentia vel comparitio nihil ei proderit, & nec uxorem nec bona amiſſa recuperabit, ut pœnæ potius ſit ſubjiciendus & in exilium mittendus, Gerhard. *de conjug.* 2. Sin verò † ante ſententiam adhuc reus ſeſe ſiſtat, ſed termino citationis jam effluxo, an adhuc tamen ad divortium perveniri poterit? 3. Contumax certè † eſt, qui tribus edictis propoſitis vel uno pro tribus, peremtorio ſcil. præſentiam ſui facere contemnit ex *l. 53. §. 1. de re judic.* Adeòque ſine dubio actori in omnes ſumtus & expenſas ad impetrandum & obtinendum proceſſum

cessum desertionis factas coudemnandus erit. Ad divortium autem, † quod majoris est momenti, ita facilè deveniendum non est, 4.
sed quocunque potius modo inter conjuges reconciliatio tentanda; si tamen pars † deserta illam admittere nolit, sed separationem 5.
desideret, illa ex arbitrio judicis pro qualitate & diversitate circumstantiarum interdum vel concedenda, vel potius deneganda erit.

XLIII.

Sin verò citatus neglecta citatione contumaciter emaneat, ad 1.
petitionem partis desertæ ulterius adversus ipsum proceditur, non tantùm qua contumacem, verùm quà desertorem etiam malitiosum, cum ex ejusmodi absentia animus deserendi malitiosus plenè præsumatur. Contumax enim † in causa desertionis pro con- 2.
fesso & convicto habetur, & talis à Judice in sententia declaratur, hac ferè formula: **Wann er Beklagter aber jedesmal auff vorhero gegangene zu 3. unterschidlichen malen** peremptoriè **Citation ungehorsamblich außgeblieben / und zu seiner Entschuldigung nichts eingewendet / wird er nunmehro** pro confesso & convicto, **und auch folgends für einen muthwilligen** Desertorn **seines Weibes billich erkant und erkläret / in massen wie ihne dafür erkennen und erklären**/quam declarationem † proximè excipit 3.
sententia Judicis, per quam matrimonium dissolvitur. Non enim malitiosa desertio est causa, per quam divortium fit, perinde ut adulterium, quod & ipsum matrimonium ipso jure non rumpit, sed utroque casu opus est sententia Judicis, † non declaratoria, ut Carp- 4.
zovius putat. *pr. cr. p. 2. q. 57. num. 15. inf. & I. C. p. 3. tit. 5. def. 69. num. 8. pr.* sed rescissoria, per quam matrimonium non nullum declaratur, sed dissolvitur, rescinditur, quod ex hac formula apparet, **und derowegen † die zwischen der Klägerin und ihrem** 5.
**verloffenenem Manne vollzogene Ehe hiermit cassiren und auffheben/und die Klägerin der Ehe halben vermöge göttlicher Schrifft von ihme loß zehlen.** Joach. à Beust. *de connub. p. 2. c. 31.*

XLIV.

Ex eo, quod jam dictum est, per sententiam demum judicis re- 1.
scissoriam matrimonium dissolvi, sponte sua sequitur, si unus conjugum, sive desertor, sive desertus ante illam cum alia persona vel matrimonium contrahat, vel † alias rem habeat, in crimen bigamiæ & 3.

 adul-

adulterii incidere, perinde ac ille, qui uxorem adulteram ſine judicio Eccleſiæ dimittit, & aliam ſuperinducit Matth. Coler. *partit. 1. deciſ. 176. num. 82.* Carpzov. *Jur. Conſ. l. 3. tit. 5. def. 67. n. 9.*

3. Sed an † hoc caſu pœna bigamiæ & adulterii ordinaria locum habeat, an verò delinquentes extra ordinem ſint coercendi, quæri
4. poteſt? De deſertore † nullum dubium eſt, quin, ſi de bigamia convictus fuerit, ordinaria pœna teneatur, imò majori videatur hoc caſu ſupplicio dignus, quippe qui duplex delictum admiſit, deſertionem ſcil. malitioſam, & adulterium vel bigamiam ſimul. Et
5. ab ordinaria † quidem pœna nullatenus deſertor vel deſertrix ſeſe liberare poterit, ſi cum perſona conjugata rem habuerit, ſin verò cum ſoluta ad interceſſionem partis deſertæ & læſæ pœnà quoque
6. mitigari poterit. In Saxonia hoc caſu † perpetua relegatio locum habeat, ita ut innocens & intercedens conjux una migrare teneatur, ex manifeſta diſpoſitione *Conſt. Elect. p. 4. conſt. 19.* Carpzov. *pr. cr. p. 2. q. 58. n. 62.*

### XLV.

1. Et hæc quidem in deſertore vel deſertrice obtinent; Deſertus autem deſertave conjux, divortio per ſententiam nondum facto, cum alia perſona nuptias contrahens, vel alias rem habens, à pœna bigamiæ & adulterii ordinaria liberatur. Cujus pœnæ mitiga-
2. tioni † cauſam præbet exiſtens jam ſufficiens cauſa divortii, nam & per deſertionem fides matrimonii jam violata eſt, ut hinc ignoſcendum aliquo modo ſit conjugi, qui non tàm malitiosè, temerè & libidinosè, quàm ope conjugali & ſic remedio uſtionis privata delinquere præſumitur, ad inſtar ejus, qui, cum conjux ipſi debitum conjugale denegaret *arg. c. ſi tu abſtines c. 27. p. 2.* Petr. à Ravenn. *in ſuo juris compend. fol. 105.* (*Diſſent.* Nicol. Bocer. *deciſ. 297. n. 15.*) vel alter quoque conjugum antea de adulterio convictus eſſet, adulterium committit Carpzov. *pr. cr. q. 2. q. 61. n. 74.* Et proce-
3. dit † prædicta aſſertio etiamſi uxor à marito deſerta alium admittat maritum, quæ tamen in foro Saxon. ultra relegationem perpe-
4. tuam etiam virgis cæditur, utut enim † ob violationem ſui matrimonii, revera per ſententiam nondum diſſoluti, tantummodò relegatione punienda eſſet, quia tamen cum marito alieno rem habet, & ſic reſpectu illius quoque thori adulterium committit, pœ-

nam

nam fustigationis effugere nequit *d. Const. Elect. 19.* Carpzov. *pr. cr. p. 2. q. 58. num. 32.* Sed aliter sese res habet in marito ab uxore deserto, † qui, si cum alterius uxore rem habeat, pœnam mortis non evitabit, quia de jure Saxonico etiam juvenis ad alterius thorum accedens, gladio puniri jubetur, *ex dict. const. Elect. 19.* Præterea hæc pœnæ mitigatio pertinet † non tantùm ad conjuges desertos, verum etiam ad illos, qui cum his rem habuerunt, prout hoc latius deducit Carpzov. *d. q. 58. num. 52. & seqq.* Sicut autem ante finitum desertionis processum conjugi deserto citra crimen bigamiæ nuptias contrahere non licet, ita nec † sponsalia validè contrahere poterit, ut de facto contracta irrita sint ipso jure, contrahens extraordinariæ pœnæ subjiciatur, & novo sponso vel sponsæ prius matrimonium ignoranti in omnes sumtus, expensas, & interesse teneatur. Berlich. *p. 4. concl. 28. n. 27.* — 5. 6. 7.

XLVI.

Divortio autem per sententiam Judicis resciſſoriam facto primus & principalis est Effectus, quod matrimonium quoad ipsum vinculum matrimoniale dissolvatur, & dirimatur, ut, † si postea partes, inter quas est divortium factum, vel inter se, vel cum alia persona soluta concumbant, non adulterium sed simplex stuprum committant, ita, ut nec pœna adulterii extraordinaria locum habeat Carpzov. *pr. cr. p. 2. q. 61. num. 54.* Pars quoque innocens † liberè & impunè aliud matrimonium contrahere poterit, quod quidem Pontificii & Canonistæ multis modis impugnant, existimantes, innocentem non posse vivente adultera, (desertrice) cum alia matrimonium contrahere, sed debere innuptum manere, vel nocenti culpam remittere, eamque recipere *c. 1. c. 32. q. 5. c. 2. in f. X. de divort.* Bellarm. *de matrim. c. 14.* sed frustra. Nostra enim † sententia, uti unanimi Theologorum Augustanæ Confessionis consensu defenditur, & in Consistoriis nostris obtinet, ita maximè conveniens est verbo DEI: Si enim ex † sententia Christi *Matth. 19. v. 9:* is demum mœchatur, qui ex alia, quam fornicationis causa uxorem dimittit & aliam superinducit, sequitur à contrario sensu, quod adulterii reus non fiat, qui ex hac causa fornicationis (desertionis) uxorem dimittit, & aliam ducit, quod utique non posset consistere, si prius matrimonium tantùm quoad — 1. 2. 3. 4. 5.

thorum

thorum & mensam & non quoad ipsum vinculum matrimoniale
6. dissolutum esset. *Deindè:* Illi sunt effectus † divortii in Novo Testamento ex causa fornicationis (desertionis,) qui fuerunt divortii in V. T. ex pluribus aliis causis levioribus. Ratio est, quia Christus nil novi introduxit ratione effectus, sed saltem ratione causæ
7. ex pluribus unicam determinando. Atqui effectus † dimissionis in V. T. erant, ut dimittens posset aliam ducere & dimissa alii nu-
8. bere, *arg. Deuter. 24. vres. 4. Levit. 21. vers. 7.* Ergò &c. Et hoc † etiam clarè innuit Paulus, dum dicit *1. Corinth. 7. vers. 15.* fratrem vel sororem desertam non esse subjectam servituti injustæ, i. e. non esse cogendam, ut ab alio matrimonio se abstineat, sed liberatam à
9. lege & obligatione matrimoniali &c. Urgent maximè † Pontificii locum *Rom. 7. v. 2. & 1. Corinth. 7. v. 39.* Ubi Mulier tàm diu viro dicitur alligata, quamdiu ille vivit, ex quo consequi putant, vinculum matrimoniale non solvi nisi post mortem, adeoque post
10. divortium etiam manere. Sed Resp. † sermonem ibi esse Apostolo non de matrimonio per scelus violato, læso & rupto, sed de matrimonio sincerè continuato, illibato & ad normam institutionis servato, quo casu utique uxor viro alligata est, quoad ille vivit.
11. Deinde † per se quidem est, & de natura conjugii, ut non nisi morte solvatur, vel accuratius loquendo, finiatur & desinat, per accidens tamen contingit, ut quod jure alias indissolubile, scelerato facto alterius partis solubile fiat. Reliquas adversariorum rationes refert & refutat Carpzov. *pr. cr. p. 2. q. 63. n. 18. & seqq.*

XLVII.

1. Quod autem dictum est, lata sententia definitiva posse partem innocentem ad alias transire nuptias, cum hac limitatione est accipiendum, ut prius, etiam facto jam divortio, apud partem innocentem reconciliatio cum desertore reverso tentari debeat, &
2. an deserentem velit recipere, si nolit, † adhuc monenda, ut ab alio conjugio abstineat, deserente vivente, si scil. se continere & ca-
3. stè vivere possit; sin verò adhuc † jus suum cedere nolit, tunc demùm aliam ducendi, vel alii nubendi facultas est concedenda. Hinc
4. sententiæ † super desertione latæ communiter solet inseri, **und wofern er sich ohne Gefahr seines Gewissens ausser dem Ehestand nicht enthalten mag/ darzu er doch fleissig zu ermahnen und anzuhal-**

zuhal-

zuhalten/ so wird ihme sich anderwerts zu verheurathen gestattet und zugelassen. Carpz. *d. l. n. 51.* Ceterùm si fœmina sit, † quæ per sententiam Judicis à marito desertore sit liberata, non ante nubere poterit, quàm annus à tempore mariti absentiæ computandus, effluxerit, ad evitandam turbationem sanguinis *arg. l. 8. §. 4. in f. C. de repud.* Et † licet hæc quæstio inutilis videri possit, cum sententia judicis ipsam desertionem non aliter sequatur, quam si vel biennium, vel triennium, vel etiam plus temporis præterlapsum fuerit, ut hinc intra illud tempus deserta ex alio capite nuptias inire prohibeatur Carpz. *I. C. l. 3. tit. 5. def. 60. n. 5. & seqq.* Non tamen † omni destituitur utilitate, cum tempus in desertione malitiosa judicis arbitrio sit relictum, & ab eo pro varietate circumstantiarum etiam coarctari & ad semestre restringi possit Carpzov. *d. l. n. 21. & seqq.* 5. 6. 7.

## XLVIII.

Denique etiam † hic notandum, quod facultas hæc ad alia vota facto jam divortio transeundi, non æquè competat parti nocenti, ut innocenti. Cum enim illa † culpa sua ac dolo causam dederit divortio, & sic, quantum in se est, ordinationem divinam de individuitate vitæ in conjugio violaverit, indignus vel indigna novo matrimonio videri debet conjux, qui quæve illud tàm nefariè turbavit. Accedit † quod, si parti nocenti indefinitè concederetur facultas renubendi, quis sub prætextu desertionis malitiosæ facilè sese liberare posset à conjuge, quam odio habet, ut postea reversus aliam in matrimonium posset ducere, quod esset criminibus per indulgentiam novarum nuptiarum incentivum præbere, & ex delicto suo lucrum & commodnm quasi sentire. Regulariter ergò † pars deserens à novis nuptiis abstinere sese cogitur, ad instar ejus, qui per adulterium causam dedit divortio. Si tamen deserens † reversus fuerit, & ipsi gratia fiat pœnæ publicæ (extra quem casum vix est, ut hæc quæstio usum habeat) fieri interdum potest, ut & ipsi novum matrimonium ineundi facultas concedatur, si scil. extra conjugium in cœlibatu citra periculum fornicationis se continere nequeat. Quo tamen † casu non propria, sed accedente Consistorii seu Magistratus Ecclesiastici potestate & consensu nubere debet, ita ut simul sedem fortunarum ac domicilii 1. 2. 3. 4. 5. 6.

mutare, & aliò ſeſe conferre cogatur, nuptiis ſine omni pompa & ſolennitate celebratis. Gerhard. *de conjug.* §. *622. p. 1048.* Carpzov. *I. C. l. 3. t. 5. def. 71.*

XLIX.

1. Et hactenus de effectu divortii principali. Effectus minus principalis eſt **lucrum & amiſſio** bonorum, quæ parti nocenti auferuntur, & innocenti ex diſpoſitione juris adplicantur. In qua 2. materia † ante omnia diſtinguendum putamus: an divortium ſit factum, inter illos, qui revera conjuges ſunt, an verò inter illos, 3. qui tales analogicè ſolum dicuntur. Si prius, aut quæſtio † eſt de bonis, facto ſtatim divortio, parti deſertæ adjudicandis, aut de Succeſſione in caſum mortis. Priori caſu, iterum diſtinguen-4. dum, † an mulier malitioſa deſertione cauſam dederit divortio, 5. an verò maritus. Si mulier, † retinet maritus *primò* dotem, quam accepit, eamque lucratur, tametſi pactum de lucranda ea nullum intervenerit. *Nov. 117. c. 8. in pr.* Anton. Matth. *de crimin. lib. 48. ff. tit. 3. cap. 3. num. 1.* Berlich. *part. 4. concl. 29. num. 20.* Diſſen-6. tit noviter Dn. Brunnem. *cent. 3. deciſ. 62. n. 1.* Quamvis enim † hanc deſertionis pœnam conſtitutam, ut deſerens uxor dotem amittat, eaque marito cedat, abrogatam eſſe nonnulli ſtatuant, per *Nov.* 7. *134. cap. 10.* Dn. Mæv. *part. 7. deciſ. 162. num. 1.* Contrarium † tamen alii rectius defendunt, idque *arg. l. 32. in f. C. de appellat. l. 27. C. de teſtament. l. 3. C. de ſilent.* & eorum quæ latè tradit Anton. 8. Matth. *d. cap. 3. num. 2.* Quæ ſententia etiam † multorum locorum ſtatutis comprobata eſt. De Jure Saxonico vid. Carpzov. *pr. crim. part. 2. q. 64. num. 64.* Brandenburgico Schepliz. ad conſuet. Brandenburg. *part. 1. tit. 2. quæſt. 1. num. 13.* De Jure Provinciali Würtembergico eſt textus expreſſus *part. 2. tit. 32. in pr.* Beſold. *ad Jus Provinc. W. part. 2. tit. 32. th. 166.* Et ſi quidem liberi 9. † ex hoc matrimonio extent nulli, ſolidam ac integram lucratur dotem maritus, his verò exiſtentibus uſumfructum tantùm, dùm vivit, proprietate liberis relicta. *d. Nov. 117. in pr. & c. 2.*

L.

1. Quid verò, ſi extent quidem liberi, ſed ex alio matrimonio, an ſuperior diſtinctio procedat, & locum habeat? Juſtinianus quidem 2. † Imp. in *d. Nov. 117. c. 8. in f. pr.* expreſsè facit mentionem liberorum,

rorum, qui ex eodem matrimonio sunt nati. Dicendum itaque videtur, maritum dotem lucrari solidam, sive nulli planè adsint liberi, aut adsint quidem, sed ex priori matrimonio. Communiter tamen Dd. etiam † liberos prioris matrimonii marito præferendos censent. Modestin. Pistor. *part. 1. consil. 3. q. 2. n. 24.* Berlich. *part. 4. concl. 29. num. 36.* Barbos. *ad l. 2. in pr. tom. 1. num. 62. ff. solut. matrim.* Nicol. Boer. *decis. 338.* Bajard. *ad Clar. libr. sent. §. adulterium.* Idque in † recompensationem injuriæ sibi per matrem illatæ, & ignominiæ, quam ipsi ex delicto matris patiuntur. Modestin. Pistor. *d. l.* 3. 4.

LI.

Superior distinctio, quod nempè liberis existentibus, dos quoad usumfructum solùm marito acquiratur: post mortem verò ejus necessario filiis adulteræ sit relinquenda, de jure etiam Saxonico locum habere, tradit Mathias Berlich. *part. 4. concl. 29. num. 39.* Neque Jure † Würtembergico aliud dicendum. Quamvis enim *part. 2. tit. 32. in fin. pr.* Serenissimus Legislator nullam quoad lucrum dotis hujus distinctionis mentionem faciat: Et verba ultima *d. pr. in f.* ibi: **welches alles seinen nechsten Erben zufallet ꝛc.** hanc sententiam dubiam reddere videantur. Sciendum † tamen, quod Statuta in dubio interpretationem & explicationem recipiant passivam ex jure communi, Mæv. *ad Jus Lubec. part. 1. tit. 10. art. 1. num. 68.* Sicque accipienda sint, ut quam minimum jus commune lædant. Dd. *ad l. 22. in pr. ff. solut. matrim.* Barbos. Locuplet. *lib. 17. cap. 49. ax. 1.* Cum verò hanc † distinctionem approbet jus commune, proinde hoc jure idem dicendum erit. Besold. *ad Jus P. W. diss. 2. th. 165.* Bocer. *class. 4. disp. 12. thes. 34.* Pro qua sententia etiam facit *text. in Ord. Provinc. tit. 94. §.* **und sollen** *p. 205.* ibi: **aller Vermög gemeiner geschribenen Kaiserlichen Rechten ꝛc.** 1. 2. 3. 4.

LII.

Illud omninò certum est, ea, quæ de amissione dotis sunt dicta, procedere tunc demum, si ipsi uxori soluto matrimonio dotis repetitio competiisset. Quando enim † pater dotem filiæ constituit, quæ interim potestate ejus non exiit, tunc, quemadmodum adulterium, ita nec malitiosa desertio poterit præjudicare juri patris, 1. 2.

tris, sed dotem in hoc casu patri restituendam esse tradunt in terminis Berlich. *part. 4. concl. 29. num. 42.* Anton. Matth. *de crimin. ad lib. 48. ff. tit. 3. cap. 3. num. 10.* Brunnem. *ad l. 2. pr. ff. solut. matrimon. num. 6.* ibi: *Nec filiæ factum patri nocet* Henric. Canis. *ad*

3. *cap. 4. X. de donat. int. vir & uxor. num. 4.* Idem dicendum, † si extraneus dotem sibi reddi stipulatus vel pactus sit. Anton. Matth.

4. *d. l.* Berlich. *de concl. 29. num. 43.* Si nullam † uxor intulerit dotem, defertur hoc casu marito quarta pars totius mulieris substantiæ, modo *400.* libr. auri non excedat *l. jubemus 11. §. 1. C. d. Repud.* ita tamē, ut superior distinctio, an nempe liberi existant, an verò non,

5. etiam hic locum invenire debeat *d. §. 1.* Hæcque † sententia expressè comprobata est *Jur. Prov. Würt. part. 2. tit. 32. §.* **Da aber kein gewisses Heurathgut &c.** ibi: **zu solchem Fall soll der hingeloffen oder ehebrüchig/ schuldig und geschieden Ehgemächt den vierten Theil seiner damals** pleno jure **gehabten Güthern/ nichts darvon ausgenommen/ verwircket haben &c.** Sed hæc † quarta

6. marito ex illis tantum bonis debetur, quæ habuit tempore divortii uxor *d. loc. 11.* ibi: *propriæ substantiæ. C. de Repud.* **F. W. L.** *d. §.* **Da aber &c.** ibi: **seiner damals** pleno jure &c. adeoque ex bo-

7. nis † post divortium factum à conjuge deserente adquisitis & possessis nihil petere poterit. Add. Carpzov. *part. 3. const. 26. def. 23.* Unde si post factam separationem hæreditas paterna vel materna uxori deferatur, maritus nihil juris in hæc prætendere poterit.

## LIII.

1. *Secundò*, si mulier per malitiosam desertionem causam præbuerit divortio, hoc ipso indignam sese reddidit lucro nuptiali, &, quam alias ex pacto vel consuetudine lucraretur, donationem propter nuptias vel totam vel pro parte, amittit, & maritus hoc in casu donationem illam propter nuptias totam lucratur, & retinet. *No-*

2. *vell. 117. cap. 8.* quod passim obtinet. Etiam de Jure † Saxonico Carpzov. *pr. crim. part. 2. qu. 64. numer. 64.* Et Provinciali Würtembergico *part. 2. tit. 32. in pr.* ibi: **sondern auch/ was dasselbig ferner von deß andern unschuldigen Haab und Güthern nach Ausweisung ihrer auffgerichten Heuraths-Abred zu gewarten hatte &c. Lands-Ord.** *tit. 94.* **und soll &c.** ibi: **darzu**

zu allen Gewinn rc. Nec distinguendum † putamus in proposito casu cum Berlich. *dict. loc. num. 34.* utrum liberi existant, an verò non, ita, ut illo in casu, donationis propter nuptias maritus solùm consequatur usumfructum, proprietate relicta liberis, illis verò non existentibus plenam proprietatem. Hæc namque distinctio procedit † & locum habet, quando vel ob malitiosam desertionem mariti uxor donationem propter nuptias lucratur *d. Nov. 117. c. 8.* vel in bonis, quæ in compensationem non illatæ ab uxore dotis, aut non constitutæ à marito donationis propter nuptias, marito vel uxori debentur. Ad hunc † itaque casum legibus non expressum leges extendere haud convenit, sine lege enim expressa, neminem jure suo privandum certissimum est.

3.

4.

5.

## LIV.

*Tertiò*, præter dotem & donationem propter nuptias, maritus, divortio, cui uxor causam præbuit, facto, ex reliquis bonis uxoris, tantam accipit partem, quantum tertia pars dotis esse cognoscitur. *Novell. 117. c. 8. §. 2.* Quod ipsum tamen per *Novellam 134. c. 10.* ubi omnis uxoris substantia (præter dotem, quam solam exceptam putant vid. *th. 49.*) inter liberos & Monasterium distribuenda, mutatum putat Berlich. *p. 4. concl. 29. n. 24.* Ita ut post hanc Novell. maritus, qui accepit dotem, de reliquis bonis, quæ uxor præter dotem habet, nihil amplius percipiat. † Verùm *d. Nov. 134. c. 10.* non disponit de bonis, quæ lucro mariti cedunt, sed præter illa in uxoris patrimonio sunt, ut inde *Nov. 117.* non abrogata sit, Illud † certum est Jure Provinciali Würtemb. tertiæ hujus partis nullam fieri mentionem *d. tit. 32.* ut proinde concludere liceat, maritum, qui dotem accepit, ex uxoris bonis consequi nihil, sed ea, non quidem Monasterio adquiri juxta *d. Nov. 134. c. 10.* sed ad hæredes uxoris pertinere. Quicquid sit, lucrum hoc tertiæ partis ubique ferè in desuetudinem abiit. add. Berlich. *d. concl. 29. num. 14. & 15.*

1.

2.

3.

## LV.

Et hucusque sese extendit dispositio Juris Civilis. In foro tamen Saxonico loco tertiæ hujus partis maritus bona uxoris paraphernalia lucratur. Carpzov. *pr. cr. q. 64. num. 28. & seqq.* Sunt

1.



quidem

2. quidem † nonnulli, qui idem etiam de Jure Civili obtinere tradunt, quos refert Carpzov. *pr. cr. q. 64. num. 19.* Bocer. *de adult. c. 5. n. 35.* ſed minus rectè. Quod ſi enim † ſine expreſſa lege
3. nemo jure ſuo privandus eſt, & textus nuſpiam bonorum paraphernalium mentionem faciunt, conſequens ſanè eſt, partem inocentem illa non amittere. Accedit, quod † Jus Civile tantùm cer-
4. tam partem bonorum uxoris (præter dotem) marito aſſignet & quidem in caſu non exiſtentium liberorum, ergò non omnia, vel extra hunc caſum planè non debentur. Et hanc ſententiam rectè defendunt Carpzov. *d. l. num. 19. & ſeqq.* Bocer. *d. l. num. 36.* Berlich. *p. 4. concl. 29. num. 12.* Barbos. *ad l. 2. in pr. ff. ſolut. matrim.*
5. *num. 54.* De jure † etiam Canonico paraphernalia bona non amittit, quidquid ſentiat gloſs. *in c. 4. X. de donat. int. vir & uxor. c. ex parte 10. X. de conſuet.* Bocer. *de adult. c. 5. num. 15.* ubi per dotalitium neque intelligi debent bona paraphernalia, neque etiam
6. donatio propter nuptias, quam multi † quidem cum dotalitio confundunt, ſed minus rectè. Donatio enim propter nuptias fit in ſecuritatem, dotalitium verò in compenſationem dotis, & dotem
7. abſorbet, ut uxor † cui dotalitium eſt conſtitutum, dotem repetere nequeat Carpz. *I. F. p. 2. conſt. 42. def. 3.* Struv. *Exerc. Feud. 14.* Excellentiſſimus Dominus Præſes *in diſputatione Inaugurali de do-*
8. *natione propter nuptias th. 48.* Et hoc † dotalitium mulier adultera (deſertrix) etiam amittit per *d. c. 4. X. de donat. int. vir. & uxor.* & ibi Henric. Canis. Berlich. *p. 4. con. 29. n. 19.*

LVI.

1. Hactenus de uxore maritum deſerente. Maritus quando cauſam malitioſa deſertione divortio præbet, uxor ab ipſo non tantum dotem confeſtim repetit, ſed etiam propter nuptias donationem lucratur; licet alias neque ex pacto eandem, nec Statuto aut conſuetudine lucraretur. *l. 8. §. 4. in f. c. de Repud. Nov. 117. c. 9. Nov. 134. c. 10.* Matth. Coler. *part. 1. deciſ. 176. num. 44.* Berlich. *p. 4. concl. 29. num. 25.* Carpzov. *Ip. For. part. 4. conſt. 21. def. 3. pr. crim. p. 2. q. 64. num. 43.* F. W. Landr. *part. 2. tit. 32. f. in & pr.*
2. ubi Beſold. ita tamen, † ut liberis exiſtentibus, uſufructu ſolùm donationis potiatur mater ad dies vitæ: poſt mortem verò ejus tota donatio ſit reſtituenda, ad exemplum dotis, quam in ſimili

caſu

casu similiter lucrari maritum supra dictum fuit. *d. Nov. 117. c. 9.* Si † nulla propter nuptias donatio constituta fuerit, quartam totius substantiae mariti in compensationem donationis accipit. *l. pen. §. 1. & 2. C. de Repud.* Berlich. *de concl. 29. num. 27. C. I. A. tit. de adult. th. 22.* F. W. Landr. *p. 2. tit. 32. §.* da aber F. W. Lands-Ord. *tit. 94. §. ult. p. 202.* observata tamen hic etiam distinctione, an liberi existant, an verò non. *d. l. pen. §. 1. & 2. c. de Repud. Nov. 117. c. 9. Coll. Jur. Arg. tit. de adult. th. 22.* Quod etiam † Provinciali Würtembergico Jure putamus obtinere, utut in *d. §.* da aber ꝛc. hujus distinctionis nulla fuerit facta mentio, *arg.* eorum, quae de dote supra *th. 51.* retulimus. Add. Bocer. *cl. 4. diss. 12. th. 34.* Besold. *ad J. P. W. th. 165.*  3. 4.

LVII.

Dotalitium constitui hodie à marito Uxori in compensationem dotis, sicque adeò à donatione propter nuptias differre, supra *th. 55.* ostensum fuit. Ubi itaque donatio † propter nuptias nulla, sed dotalitium à marito constitutum est uxori, ut post ejus mortem usufructu ejus gaudeat uxor, in compensationem dotis illatae, divortio sane propter malitiosam discessionem viri facto, uxor, ipso etiam vivente, à marito dotalitium jure petit. *arg.* eorum quae de dotalitio in casu adulterii lucrando, tradunt Hartmann. Pistor. *observ. 15.* Et quidem una cum dote. Hartmann. Pistor. *d. l.* Quemadmodum † enim uxor ob malitiosam discessionem mariti praeter dotem quam recipit, donationem propter nuptias lucratur, *th. praeced.* Ita dotalitii, quod in locum dotis est surrogatum, exactio, non impedit, quo minus simul etiam dotem exigere possit; quia dotalitium ubi consequitur uxor; hoc solum habet, ne damnum aliquod incurrat, lucrum ergò hactenus habet nullum, quod tamen ipsi invidendum non est. Pariter, sicut † ob malitiosam desertionem uxoris maritus praeter donationem quam recipit, dotem lucratur: Ita etiam dotalitium unà cum dote peti poterit. Cum in † separatione quod concessionem dotis & donationis propter nuptias vir & uxor ad paria judicentur. Mynsing. *consil. 43.* Christoph. Besold. *vol. 3. consil. 110. num. 174.* Cui consequens est, † quod & omne lucrum, quod ex pactis dotalibus aut Statuto vel consuetudine alioquin consequeretur Maritus, divortio facto amittat,  1. 2. 3. 4. 5. 6.

mittat etiam uſumfructum, quem alias in bonis uxoris habet, Carpzov. *Ip. For. part. 3. c. 26. d. 18. p. 3. d. 291. n. 16.*

LVIII.

1. Quæ autem hactenus de amiſſione bonorum ſunt dicta, non aliter procedunt, quam ſi ob malitioſam deſertionem divortium à Judice verè factum fuerit. Ex quo ſequitur † *primò*: quod hæc
2. pœna deſertionis locum non habeat in diſceſſu à conjuge ex cauſa dubia facto, ubi nimirum quædam diſcedendi fuit cauſa, v. gr. talis, quæ conjugem dubium reddere poſſet, an illæſa conſcientia & honeſtate in conjugio perſiſtere liceat, veluti, ſi ratio quædam ſit, propter quam conjugium irritum reputari poſſet, aut aliàs conſci-
3. entiæ ſcrupulus de Jure ejus ſuboriatur. Quamvis enim † à conjuge peccetur, quod à marito abſtineat & diſcedat, antequam cauſa cognoſcatur, & per judicialem ſententiam diſcedendi licentia ſit, non tantum tamen eſt peccatum, acſi malitiosè planè & ſine omni ratione ſeſe ſeparaverit, & proindè amiſſio dotis & ſimilium hic locum non habebit Mæv. *part. 7. deciſ. 162.*

LIX.

1. *Deinde* etiam ex jam dictis adparet, lucrum illud, quod parti innocenti cedit, non deberi à tempore deſertionis & criminis commiſſi, ſed à tempore divortii, argumento eorum, quæ de adulterio tradunt Beſold. *part. 3. conſil. 110. num. 176.* Mynſing. *reſpons.*
2. *43. num. 52.* Quamvis enim ſint, † qui exiſtiment, quod ſola deſertio ſufficiat, ad hoc, ut pars innocens lucrum illud conſequi poſſit, quam ſententiam defendit Beſold. (utut *d. l.* expreſsè contrarium ſtatuat) *ad Jus Prov. Würtemb. part. 2. tit. 32. th. 167.* & Plebſt. *ad dict. Jus Prov. Würtemb. tit. 32. th. 252. lit. a.* ibi: *Neq; neceſſarium eſt, ut à Judice ſeparatio fiat, & ſententia ſubſequatur, nam ſufficit, ſi pars nocens ſpontè ſine cauſa ſe ſubduxerit aut aufugerit.* Add. Modeſtin. Piſtor. *q. 90.* ubi etiam Scabinos Lipſienſes ita judicaſſe re-
3. fert. Contraria tamen † ſententia juri communi eſt convenientior. Unde etiam, quotiescunque in *Nov. 117. cap. 8. & 9.* mentio fit de lucro & amiſſione bonorum, ſemper divortium vel miſſio
4. repudii præſupponitur, vid. Mæv. *p. 7. deciſ. 164. num. 1.* ubi: † *Ea adquiſitio*, inquit, *non fit niſi poſt Judicis ſententiam, per quam cauſa*
5. *privationis juſta declaratur.* Et de Jure † Würtembergico idem

adhuc

adhuc dicendum videtur, præterquam enim, quod in dubio inter Jus commune & statutarium nulla differentia sit facienda, per ea, quæ *th. 51.* sunt dicta, huic sententiæ maximè favet textus in *Jur. Prov. Würtemb. part. 2. tit. 32.* ibi: **und die Ehscheidung mit Urtheil erkennet würde.** & paulò post: **und soll derselbig schuldig und gescheiden Ehgemächt ꝛc.**

LX.

Et hactenus quidem de bonis quæ facto statim divortio parti desertæ sunt adplicanda. Exserit præterea vim suam malitiosa desertio etiam circa bona, quæ mortuo aliàs conjuge desertor vel desertrix jure successionis petere posset. Ex quo est, † quod in illis locis, ubi conjugi ex bonis prædefuncti legitima est relinquenda, uti in hoc Ducatu Würtembergico, desertio inter justas exheredationis causas referatur, usque adeò, ut conjuge sic excluso, nec querela inofficiosi testamenti, nec condictio ex statuto ad supplementum legitimæ competat. **F. W. Landr.** *part. 3. tit. 19.* ibi: **wann ein Ehgemächt das ander zwey Jahr lang muthwilliger Weise deserirt und verlassen ꝛc.** ibique Plebst. *th. 241.* Deinde legatum ab innocente parte nocenti testamento relictum, tacitè revocatum censetur, *arg. l. 3. §. ult. ff. de adim. leg. l. si inimicitiæ §. 1. ff. de his quæ ut indign.* & eorum quæ tradit Farinac. *pr. cr. tit. 16. part. 1. q. 47. num. 36.* Add. Mantic. *d. conject. ult. volunt. lib. 12. tit. 5. num. 2.* Berlich. *part. 4. concl. 29. n. 29.*

1.

2.

LXI.

Ab intestato conjugi superstiti in bonis prædefuncti juxta multorum locorum statuta portio quædam debetur. vid. Mæv. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12.* Carpz. *Jp. For. part. 1. const. 20. def. 1.* Schepliz. *ad consuet. Brandenb. part. 3. tit. 3.* **F. W. Landr.** *part. 4. tit. 5. 6. 7.* Quamvis enim † facto divortio totali, marito vel uxori in bonis defuncti conjugis ab intestato succedendi nullum jus competere, adeoque vinculo matrimoniali, tanquam causa successionis cessante, ipsa quoque successio cessare videatur. Carpzov. *Jp. For. part. 3. const. 26. def. 16.* Portionem tamen † statutariam communiter hinc excipiunt, ut pars nocens illam amittat, non tantùm quòd conjux esse desierit, verú etiam ob malitiosam desertionem in specie. Carpz. *Jp. For. part. 3. const. 26. def. 1. & seqq.* Matth.

1.

2.

3.



Coler.

Coler. *decis.* 207. Heig. *part.* 3. *q.* 33. *n.* 48. Mev. *ad Jus Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 447. F. W. Landr. *part.* 2. *tit.* 32. ibi: **Ferner von deß andern unschuldigen Haab und Güthern ꝛc. oder sonsten auch unsere Erb-Rechten zu gewarten hätte/ gantz und gar verlohren haben.** Plebst. *d. l. th.* 232. Cujusmodi † portio nocenti ablata non fisco vindicatur, sed ad conjugis defuncti heredes pertinet. *arg. l.* 22. *§.* 1. *ff. solut. matrim.* Carpzov. *Jp. For. part.* 3. *const.* 26. *def.* 19. Etiam Jure † Provinciali Würtembergico, F. W. Landr. *part.* 2. *tit.* 32. ibi: **Welches alles / sampt übrigem deß abgestorbenen unschuldigen Ehgemächtes verlassenen Haab und Güthern / (so fern es darinnen nicht** testirt **hätte) seinen nechsten Erben zu fället.**

4. 5.

LXII.

1. Procedit superior assertio, quando ob desertionem malitiosam factum est divortium totale, si enim separatio † saltem quoad thorum & mensam fuerit facta, portionem statutariam non amitti, Juris Saxonici Interpp. communiter adfirmant Carpz. *Jurispr. For. p.* 3. *const.* 26. *def.* 15. Berlich. *p.* 3. *concl.* 36. *num.* 27. Et de hac separatione accipiunt verba *constit. Elect. p.* 3. *const.* 26. ibi: **Es wäre dann die Ehscheidung zwischen Weib und Mann zu recht erkant ꝛc.** Daniel Moller. *ad d. const.* 26. *num.* 2. *in f.* Quamvis autem † Berlichius *d. concl.* 36. *num.* 28. hoc ipsum ad innocentem conjugem restringat, ita ut hic solummodò hoc lucrum post mortem alterius percipere possit, non etiam nocens, qui causam dedit separationi, quæ propterea portionem suam amittat. Constanter tamen † ei contradicit Carpz. *pr. cr. p.* 2. *q.* 558. *num.* 70. & in *Jp. For. p.* 3. *const.* 26. *def.* 15. ubi latè probat, quod *d.* constitutio etiam de parte nocente loquatur & intelligenda sit, ut hæc quoque portionem suam statutariam petere non prohibeatur.

2. 3. 4.

LXIII.

1. An verò facto ob malitiosam desertionem divortio totali, pars innocens ex bonis nocentis portionem statutariam exigere possit, nunc disquirendum venit? Quod, † licet ex hac ratione negandum videatur, eò, quod portio istiusmodi statutaria superstiti conjugi, jure successionis deferatur; jam verò facto divortio totali separati conjuges esse desinant. (Unde Carpz. *part.* 3. *const.* 26. *def.* 17.

2.

Facto

*Facto totali* inquit, *divortio nullum competit jus succedendi marito vel uxori in bonis defuncti conjugis.* (Attamen non obstante † deser- 3.
tione, ac desuper facto divortio, conjugi nihilominus innocenti, ex bonis nocentis statutariam portionem deberi, non aliter, ac si matrimonium ad mortem usque durasset, tradunt Mæv. *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 448.* ibi: *Deserentis non desertæ personæ tunc pœna est. Innocenti manet lucrum ex omnibus deserentis bonis, quæ tempore dissoluti matrimonii habuit.* Carpzov. *Jp. For. part. 3. const. 26. def. 20. & 21.* ubi multis præjudiciis hoc ipsum confirmat. Ne scilicet † sit in potestate conjugis, superstitem 4.
sua portione, suoque jure privare, deserendo eam, néve nocens ex delicto suo lucrum consequatur, contra jura manifesta. Unde parum interesse, an per divortium ex causa desertionis vel adulterii, an verò per mortem matrimonium dissolvatur, quoad hanc portionem statutariam, sentit Carpzov. *d. def. 21. n. 5. & seqq.* Idem *lib. 6. tit. 10. Resp. 109.*

## LXIV.

Procedit hæc sententia ex Interpp. mente in bonis, ante di- 1.
vortium factum à conjuge nocente jam acquisitis & possessis Carpzov. *Jp. For. part. 3. const. 26. def. 23.* Et si quæ pendente Processu parti nocenti per successionem fuerunt delata. Carpzov. *lib. 6. tit. 9. Resp. 109.* Nam si † post factam separationem hæreditas 2.
vel paterna vel materna nocenti conjugi deferatur, non magis innocentem de his portionem statutariam petere valere, quàm si post obitum conjugis parentes demortui fuissent. Sicut verò † statu- 3.
taria portio in casum mortis non nisi ex istis bonis præmortui conjugis, quæ tempore mortis habuit, non verò ex iis, quæ post ejus mortem hæreditati accesserunt, debetur: Ità in casu divortii ex causa malitiosæ desertionis planè idem dicendum Carpz. *Jp. For. part. 3. const. 26. def. 23.* ubi † præjudicium, so viel aber gedach- 4.
ter euere Schwester N. N. Antheil anlangt: Ob sie gleich ihren Ehemann verlassen/ und vor 4. Jahren mit N. N. darvon gezogen/ und also ihrer Mitgüffte oder Heurath-Guths sich verlustig gemacht/ dieweil sich aber der Todfall mit eurem Vatter und Mutter aller erst hernach/ und als der Mann von ihr geschiden worden/ begeben: So hat sich offt ermelmelter eurer Schwe-



ster

ster Ehemann ihrer Vatters- und Mutter-Theils nicht an-zumassen/sondern es wird euch solches gleichfals / auff Caution billich gefolget V. R. W. Add. Carpzov. *lib. 6. tit. 10. Resp. 109. num. 7.*

## LXV.

1. An verò illa, quæ *præcedente thesi* dicta sunt, etiam ad Jus Provinciale Würtembergicum pertineant, & conjugi innocenti, facto divortio totali, ex bonis conjugis deserentis portio statutaria ex statuto alias delata debeatur, haud incommodè quæri posset?
2. Pro † affirmativa facere videtur textus in *Jur. Prov. Würtemb. p. 4. tit. 2. §.* jedoch ubi sponsa admittitur ad successionem sponsi, qui sponsam deserendo matrimonii complementum impediit. Quod
3. si autem † matrimonium pro consummato haberi debet quoad effectum successionis, quoties per alterum non stat, quo minùs adimpleatur; Ita sanè ad finem vitæ durasse censendum est, quod u-
4. nius culpa est dissolutum. Verior tamen est † eorum sententia, qui existimant, partem innocentem portionem suam statutariam
5. ex bonis defuncti nocentis petere non posse. Defertur † enim Jure Provinciali hæc portio statutaria conjugi superstiti ex bonis prædefuncti jure hæreditario F. W. L. *p. 4. t. 5. 6. 7.* & per successionem ab intestato. Divortio autem facto ex causa desertionis vinculum matrimoniale tollitur, & sic conjuges esse desinunt, ut itaque matrimonio, tanquam causa successionis cessante, ipsa quo-
6. que successio cessare debeat. Quanquam igitur in aliis locis, † puta in Saxonia perinde habeatur, quoad lucrum portionis statutariæ, sive morte naturali, sive per divortium matrimonium sit solutum, prout tradit Caprzov. *d. const. 26. p. 3. def. 21.* Id tamen ad
7. forum Würtembergicum extendi nequit. Et sine † expressa lege aut sanctione neminem jure suo privandum esse supra dictum est, maximè, cum statuta in dubio strictè sint accipienda, nec ad casum in lege non expressum facilè extendenda, per ea quæ tradit Dn. Tabor. *Barbos. locuplet. l. 17. c. 49. ax. 3.*

## LXVI.

1. Ceterùm, an prædictum lucrum etiam heredibus & contra hæredes competat, intricata sanè & maximè controversa est quæstio. Berlich. *p. 4. concl. 30. per tot.* Anton. Matth. *ad l. 48. ff. l. 3. c. 3.*

*c. 3. num. 9.* Ad quam † eò felicius decidendam varias adhibent distinctiones: vel inter hæredes suos & extraneos Mæv. *p. 7. d. 167.* vel, an hoc lucrum petatur per modum actionis, an verò per modum exceptionis; vel denique an civiliter an verò criminaliter sit actum, de quibus vide Berlich. *d. concl. 10.* Sed nulla ex his distinctionibus nodum solvit, ideòque † primò omnium distinguendum arbitramur, inter hæredes partis nocentis, & innocentis, & quoad hos iterum, an jam factum sit divortium, an verò non. Si divortium factum non est, aut pars innocens simpliciter tacuit, neque processum desertionis instituit, aut instituit quidem, sed ante divortium factum discessit. Priori casu † hæredes ad bonorum privationem agere non possunt. Nam & in casu adulterii tunc demùm dotem & donationem propter nuptias lucratur maritus, si uxorem accusaverit, imò si probaverit *l. 8. §. 5. C. de rep. Nov. 22. c. 15. Nov. 117. c. 8. §. 1.* Quod si igitur simpliciter tacuerit, culpam & injuriam nocenti remisisse credendus est Mæv. *p. 4. d. 164. num. 2.* perindè ut in crimine adulterii Anton. Matth. *d. c. 3. num. 9.* Berlich. *d. l. num. 12.* Facit huc † etiam textus in J. P. W. *p. 2. t. 32. pr.* ibi: **darüber die Ehescheidung mit Urtheil erkennet würde ꝛc.** divortium autem non fieri à Judice ex officio, sed ad petitionem & instantiam partis supra *th. 27. n. 4.* dictum est.

2.

3.

4.

5.

## LXVII.

Posteriori casu, † si pars deserta processum quidem instituit, sed ante latam sententiam decessit, videtur sanè etiam in hoc casu hæredibus actio ad bonorum privationem deneganda, propterea quod divortium nondum sit factum, per *d. text. J. P. W. t. 32.* & ea, quæ *th. 59.* sunt dicta; quia verò † tantùm abest, ut hoc casu culpa & injuria ab innocente remissa censeri possit, ut potius de contraria ejus intentione ex supplicatione pro impetrando, & instituto jam processu, liquidò constet, ideòque hæredes lucrum hoc defuncto debitum petere posse omninò dicendum est, sive illi † agant contra uxorem ad privationem dotis, ut scil. exceptio dissimulationis vel remissionis injuriæ locum non habeat; sive contra uxorem dotem repetentem per modum exceptionis, malitiosæ scil. desertionis, sese tueantur; impetrato namque & instituto processu judici de malitiosa desertione quodammodò jam constat, u-

1.

2.

3.

trum nempè causa discedendi justa & probabilis sit, an verò non sit.
4. Unde, † si in casu adulterii (propter quod tamen uxor dotem & cetera bona non, nisi condemnata amittit) marito uxorem expellente, aut aliter indignationem suam ostendente, exceptio criminis ab hæredibus mariti uxori opposita, non potest per replicationem injuriæ remissæ removeri, Farin. *pr. cr. q. 142. p. 2. t. 16. n. 126.* non habito respectu, an hæredes sui sint, an autem extranei, idem quoque in casu malitiosæ desertionis obtinere debet. Imò si,
5. † juxta sententiam quidem Carpzovii *Ip. For. p. 3. const. 26. def. 11. num. 4.* hæredes ad agendum admittendi sunt, si demonstrare possint, conjugem defunctum indignatum fuisse, & injuriam per desertionem sibi illatam vindicare voluisse, si non morte præventus esset; multò magis id admittendum erit, quando ab innocente conjuge processus desertionis institutus est, utut non finitus.

LXVIII.

1. Sin verò processus desertionis & institutus, & per sententiam rescissoriam finitus fuerit, videndum est, an ad privationem bo-
2. norum jam agere cœperit, an verò non. Si prius, † dubium non est, quin defuncto eo hæredes indifferenter actionem persequi pos-
3. sint. Carpz. *d. const. 26. def. 12. in pr.* Sin verò morte † præventus agere non potuit, (si certè aliunde de remissione injuriæ non constet) admittunt quidem etiam Doctores hæredes communiter, sed suos tantùm, extraneos non æquè. Carpz. *d. def. 12.* Farin. *d. l.* Mæv. *p. 7. decis. 167.* qui in hanc sententiam adducit *Nov. 22. cap. 15. & Nov. 117. c. 13.* sed frustrà. Nunquam enim ibi here-
4. dum, quà talium, fit mentio. Licet autem hoc † ex ratione & analogia juris ita defendi possit, secundum hanc tamen distinctionem aliquoties in supremo, quod Wismariæ est, Judicio pronunciatum esse testatur Mæv. *d. l. in f.* Adde Carpz. *d. l.*

LXIX.

1. Et hæc de hæredibus partis innocentis. Quod nocentis hæredes attinet videtur, quod facto divortio totali, adversus illos pars deserta ad lucrum consequendum agere possit, si modò de remissa
2. injuria non constet. Sed quid juris, † si ante divortium uxor desertrix decesserit; an maritus hæredibus uxoris dotem repetentibus desertionis exceptionem opponere possit? Dubium sanè reddit, quod

supra

ſupra *th. 59. & 67.* dictum, lucrum hoc non, niſi facto per ſententiam divortio, deberi. Sed cùm † in caſu adulterii maritum etiam adverſus hæredes de adulterio uxoris excipere, eoque probato, dotem retinere poſſe Doctores communiter tradant ad *l. ult. C. de adult.* Anton. Matth. *de crimin. ad l. 48. ff. tit. 3. c. 3. n. 8.* Brunnem. *ad d. l. ult. C. de adult.* Berlich. *p. 4. concl. 30. num. 5. & 30.* Farin. *pr. cr. p. 2. q. 142. t. 16. num. 59.* de malitioſa deſertione idem dicendum eſt, quia utraque ſufficiens cauſa eſt ad dotem & reliqua bona lucranda. Arbitramur itaque, † & in hoc caſu maritum adverſus hæredes deſertricis defunctæ de divortio non jure facto excipere & dotem retinere poſſe, ſive hoc lucrum dotis &c. ſeſe hebeat, tanquam conſequens divortii ab ipſo marito juſtè facti, ſive tanquam pœna repudii citra juſtam ac rationabilem cauſam ab uxore miſſi *l. 8. §. 4. C. de Rep. Nov. 22. c. 15. §. 3. Nov. 117. c. 13. pr.* 3. 4.

## LXX.

Præterea etiam hic notandum eſt, quod effectus hic de lucrandis & conſequendis bonis, cujuscunque ſint generis, tunc demum locum habeat, ſi reconciliatio inter conjuges ſubſecuta non fuerit. *C. 4. X. de donat. int. vir. & uxor. Jur. Prov. Würtemb. p. 2. t. 32. in f.* ibi: **Doch hat dieſes alles allein ſtatt / wann ſolche beede Ehgemächte vor ihrem Abſterben / ſich nicht mit einander widerumb reconcilirt und verſöhnet hätten.** Plebſt. *ad d. t. th. 252.* Berlich. *p. 4. concl. 29. num. 48.* Carpzov. *Jp. For. p. 3. c. 26. def. 13. 14.* Nec intereſt, † reconciliatio fiat, facto jam per judicis ſententiam divortio, an verò ante illam, quinimò hoc caſu pars innocens ex alia adhuc ratione aliquid ex bonis deſertoris petere prohibetur per ea, quæ *th. 59.* ſunt dicta; Fit autem hæc reconciliatio aut † expreſsè, quando deſertori reverſo & præſenti vel coràm, vel per literas aut coram teſtibus conjux innocens injuriam remittit; vel † tacitè, quæ reconciliatio ex factis colligitur & præſumitur, puta ſi conjuges iterum cohabitaverint Covarruv. *de matrim. p. 2. c. 7. §. 6. num. 11.* Johann. à Sandè *decif. Friſ. l. 2. t. 6. def. 2.* vel conjux à judice cohabitationem petierit, etiamſi non impetraverit, quoniam *contraria planè ſunt* (ut inquit Dn. Mævius *p. 7. d. 163.*) *velle conſummari matrimonium, & tamen pœnam non conſummati petere.* 1. 2. 3. 4.

tere. Carpzov. *d. const. 26. def. 14. num.* 2. Idem etiam dicendum, si conjux innocens nocenti in testamento aliquid reliquerit Carpzov. *d. const. 26. & def. 14.* vide omninò Berlich. *p. 3. concl. 36. 38. & p. 4. concl. 29. num. 46.*

LXXI.

1. De effectu divortii quoad lucrum & amissionem bonorum inter eos, qui verè conjuges sunt, in præcedentibus dictum est; superest, ut de sponsalibus aliquid addamus. Cùm enim sæpissimè
2. † fieri soleat, ut sponsus ad matrimonium per Sacerdotalem benedictionem perficiendum, à Magistratu cogi nequeat, sed illo divertente & discedente divortium sit faciendum vid. *th. 24.* Carpzov. *Jp. C. l. 3. t. 5. def. 57.* quæritur, quid hoc casu de bonis dis-
3. cedentis statuendum sit? Ubi † distinguendum existimamus, an propter ejusmodi discessionem divortium factum fuerit, an verò non. Si non factum fuerit, videndum, an sponsa ad separationem jam agat; an verò non agat, sed reditum sponsi expectet.
4. Posteriori casu, † si quidem sponsa ex discedente sit gravida, in bona absentis propter alimenta infanti debita sine dubio immittenda erit, vid. Carpzov. *Jp. Cons. l. 2. d. 136.* ubi in *f.* præjudicium addit: **Als ist unser Begehren / ihr wollet** supplicantin **nebens ihrem Kind / in N. seine vätterliche und mütterliche Verlassenschafft / er seye gleich noch im Leben oder Tod / unverzuglich einweissen / und daran seyn / daß ihr solcher Antheil vermittels eines** Inventarii **eingeraummet und gefolget werde 2c.** Sin ve-
5. rò † non sit gravida, interesse arbitramur, an sponsa petat immissionem in bona sponsi, donec de injuria sibi illata satisfiat, an verò propter aliam rationem; Si ob illatam injuriam, missio etiam
6. locum habebit. Pro † gravi enim injuria reputare poterit honesta virgo post votum nuptiale ludificari, repudiari, & sic non dignam conjunctione, quæ per sponsalia præparatur, censeri Mæv. *part. 5. decis. 193. num. 1.* Unde B. Lutherus *tr. de vit. conjug. tom. 6. Witteberg. p. 173.* §. **ich habe.** scribit: **Es gilt nicht / seinen Nechsten in disen grossen hohen Sachen / die Leib / Guth / Ehr und Seeligkeit betreffen / so leichtfertig bey der Nasen umbdrehen / man muß es ihnen redlich zahlen heissen.** *Quod si enim virgini castæ, pudicæ & verecundæ* (verba sunt Cothmanni *vol. 1. resp. 10.*

*num.*

*num. 260.)* *injuriæ & contumelia extra corpus inferri unquam potest, ea certè hæc ipsa est, quâ Sponsus refractarius Sponsam ludificatur, & contumeliam ipsa morte acerbiorem infert, & hominibus, præsertim malevolis, calumniandi occasionem præbet &c.* vid. Christoph. Philipp. Richter. *vol. 1. part. 2. cons. 4. num. 24.* Quemadmodum igitur in tali casu contra discedentem & refractarium actio injuriarum locum habet, apud Mæv. *d. p. 5. decis. 193.* Ernest. Cothmann. *vol. 1. resp. 10. num. 256.* ubi JCtos Jenenses sic sensisse testatur, licet, quia refractarius est fugitivus & absens, exitum habere nequeat; ita sanè missio eo in casu parti petenti non est deneganda. Est enim † missio in bonorum possessionem unum ex remediis compulsivis, quibus Judex compescit contumaciam partis non agnoscentis ipsius Jurisdictionem Coler. *de proceß. Execut. pag. 1. cap. 2. num. 11.* 7.

## LXXII.

1. In terris Saxonicis, licet in actione injuriarum missio locum non habeat, (quomodo enim hic contra reum absentem & fugitivum procedendum sit, tradit Carpzov. *pr. cr. p. 2. q. 95. n. 76.)* sponsam † tamen in bona sponsi refractarii immittendam, etiam ob injuriæ æstimationem, videtur colligi posse ex iis, quæ tradit Carpzov. *d. def. 136. num. 13.* Berlich. *p. 5. decis. 59.* ubi nec inter sponsam gravidam & non gravidam distinguit, sed indistinctè in bona sponsi immissionem concedit. Et secundùm hanc sententiam Scabinos etiam Lipsienses pronuntiasse refert: **So hat sie auch wol Fug / sich dieweil zu seinen Güthern / da er einige hat / zu halten / und ist die Obrigkeit schuldig/Sie auff ihr Anhalten darein zu setzen / und ihr dieselbe zu geniessen und zu gebrauchen ein zu raumen V. R. W.** Jure Würtembergico, † quin idem dicamus, nihil obstat, quoniam missio ex causa contumaciæ in actionibus personalibus hoc jure regulariter locum habet **F. W. L.** *p. 1. t. 12. §.* **da aber 2c.** à quibus actio injuriarum excepta non reperitur. 2. 3.

## LXXIII.

Et hoc quidem si sponsa ideò petat immissionem, donec de injuria illata sibi satisfiat. An verò etiam ex causa alimentorum missio sponsæ in bona sponsi refractarii locum habeat, quæri posset? Maritum † quidem uxori ad alimenta teneri, nullum dubium 1. 2.

habet, *l. 22. §. 8. solut. matrim:* Arnis. *de jur. connub. p. 2. sect. 6. num. 23.* Brunnem. *ad d. l.* vid. Coler. *de aliment. l. 1. c. 10.* Ut inde de marito † desertore res clara sit, quod; ubi ad divortium uxor non agit, interim ex bonis ejus sit alenda Coler. *d. l. num. 34.* In sponsa autem † rationem, quæ in uxore obtinet, cessare facilè patet. Unde si sponsus sponsæ alimenta subministraverit, de dote hoc deducere posse, tradit Coler: *d. l. p. 562.* Quicquid autem sit, † in terris Saxonicis sponsam in bona sponsi refractarii ob alimenta immittendam tradit Joachim. à Beust. *de sponsal. c. 67. p. 91. num. 10.* & hanc sententiam defendit Carpzov. *Jurispr. Cons. d. def. 136.* & Berlich. *d. l.* &, ubi sponsalia quidem de præsenti & publicè sunt contracta, sine dubio procedere, agnoscit etiam Cothmann. *vol. 1. Resp. 86. num. 100: & seqq.* & adducit *Consult. Saxon. p. 1. q. 1. num. 2. sub rubr.* **ob die Ehe-Verlöbnus.** Quanquàm † verò ob alimenta missioni locum esse neget Cothmann. *d. Resp. 86. n. 101.* ex antecedentibus tamen patet, illum loqui de eo casu, ubi nempè sponsus alia ratione ad matrimonium perficiendum cogi potest.

LXXIV.

Jure Provinciali Würtembergico, ut & aliorum locorum statutis, ejusmodi sponsalia quando scilicet ex una parte stat, quo minus per benedictionem sacerdotalem perficiantur, non aliter censeri debent, ac si matrimonium ritè perfectum fuisset **F. W. L.** *p. 2. t. 2. §.* **jedoch** ibi: **solle die Ehe-Verlobnus der jenigen Person halber/so die** Consummation **der Ehe wider die schuldige Gebühr verweigert (so viel deß überlebenden an deß halsstarrigen verstorbenen Verlassenschafft habende Erb-Gerechtigkeit belangt) für ein durch gehaltenen Kirchgang und ehliches Beylager vollzogene Ehe gehalten &c.** Carpz. *I. F. p. 3. c. 19. d. 9.* Unde † quamvis successio inter personas desponsatas, locum non habeat ante conscensionem thalami, etiamsi matrimonium per sacerdotalem benedictionem consummatum fuerit Carpz. *d. const. 19. d. 1. 2. I. P. W. d. t. 2. pr.* Mæv. *ad Jus Lubec. p. 2. t. 2. art. 12. n. 259.* Si tamen † sponsa ad divortium non egerit, ex bonis contumacis prædefuncti legitimam & portionem statutariam salvam habere debet. **Landr.** *d. l.* & *§.* **jedoch** ibi: **und derowegen die ander Person / so**

**an**

an Vollziehung der Ehe durch das verstorben/muthwilliger Weise verhindert/ zu der Succession und Erbung des andern ab intestato verstorbnen/wie andere Ehegemächt zugelassen: In massen auch solcher gehorsamen unschuldigen Person der Pflicht-Theil/ wie selbiger anderen Ehleuten gebühret/ durch die muthwillige und ungehorsame nicht kan entzogen werden. Berlich. *p. 3. concl. 25. num. 38.* Carpzov. *d. const. 19. def. 9.* Adde Gail. 2. *Observ. 80. num. 11.*

LXXV.

Quandò autem sponsa deserta ad divortium egit, & obtinuit, ex bonis sponsi, à quo per sententiam est absoluta, jure successionis nihil petere potest, quia fundamentum successionis deficit, per ea, quæ *th. 65.* sunt dicta. Nec contrariatur † hìc J. P. W. *d. l.* qui textus loquitur non de casu, quo divortium est factum, sed quo sponsa consummationem matrimonii urget. An verò dotem vel similia lucra sponsus vel sponsa in hoc casu amittat, valdè controvertitur. Adfirmat Berlich. *p. 4. concl. 29. num. 31.* vide Carpz. *pr. cr. p. 2. q. 64. num. 48.* Sed † contraria sententia de jure verior est; quam etiam amplectitur Carpz. *d. l.* ubi ita etiam judicatum esse refert. In † foro Würtembergico ea, quæ de amissione dotis & lucrorum nuptialium dicta sunt, etiam ad sponsum & sponsam pertinere tradit Plebst. *ad Jus Prov. Würtemb. p. 2. t. 32. th. 254.* & ita in supremo hujus Ducatus Dicasterio, quod Tubingæ est, judicatum refert in causa appellationis von Vayhingen. *d. 22. Mart. anno 1590.* De † Arrhis, quid hoc casu dicendum sit, latè tractat & explicat Magnificus Dn. Lauterbach. *tr. de Arrha sect. 6. th. 154.* vid. Carpzov. J. C. *l. 2. def. 136.*

1. 2. 3. 4. 5.

LXXVI.

Ceterùm, quæ *th. præced.* de sponsalibus dicta sunt, non aliter locum habent, quam si de sponsi perfidia & innocentia sponsæ constet. Sicut enim † contra sponsum præsentem per gradus procedendum ad coactionem, nec aliter quam si circa votum connubiale res certa sit & expedita Mæv. *p. 3. decis. 382.* Carpz. *I. C. l. 2. def. 176.* ita etiam contra sponsum discedentem. Nec statim † permittendus est injuriarum processus, sed prius agendum de vinculo & vi sponsaliorum, utrum nimirum justè rectèque contra-

1. 2. 3.

cta, vel valida ſint atque obligatoria Mæv. *p. 5. dec. 193.* & an is, qui conſummationem matrimonii, & immiſſionem in bona abſentis deſiderat, jus habeat illud exigendi Mæv. *d. p. 3. d. 382.* Cau-
4. ſa enim † matrimonialis, tanquàm præjudicialis, & principalis, ex quâ actio injuriarum & cœtera deſcendunt, ante omnia hic ter-
5. minanda Mæv. *d. p. 5. deciſ. 193.* & quidem, † ſi principaliter de ipſo vinculo & ejus jure agâtur, ad Judicem Eccleſiaſticum remittenda erit Reinking. *de R. S. & Eccl. l. 3. cl. 1. c. 19. n. 24.* Mæv. *p. 3. deciſ. 280.* ſecus, ſi cauſa matrimonialis per conſequentiam tantùm in civilem incidat, nec illi præjudicium faciat quo caſu ad Judicem ſecularem pertinet Mæv. *p. 3. deciſ. 115.* vid. eundem *p. 5. deciſ. 193. & 194.*

## LXXVII.

1. Circa alimenta denique notandum, quod facto divortio totali maritus uxorem alere non teneatur. Carpz. *p. 3. deciſ. 291. n. 16.* in quo etiam differt à ſeparatione quoad thorum & tenetur Carp-
2. zovio *d. l. num. 18.* Divortio † verò nondum facto pars deſerta ex bonis deſertoris alimenta jure petit, & eorum nomine in bono-
3. rum poſſeſſionem immitti poteſt. De liberis, † apud quem facto divortio ali & educari debeant vid. conſtitutiones Impp. *in Cod. tit. Divortio facto apud quem lib.* & *Nov. 117. c. 7.* nimirùm apud partem innocentem ſumtibus nocentis vid. Carpz. *p. 3. deciſ. 291. num. 20.*

## LXXVIII.

1. Tenetur præterea malitioſus deſertor parti læſæ non tantum ad intereſſe privatum per *hactenus dicta*, ſed etiam Reipubl. ad pœnam publicam *l. 9. §. 5. de* [illegible] quæ pœna arbitraria & pro locorum diverſitate varia eſt, & pro qualitate delicti augeri vel minui
2. poteſt. In † Saxonia contra deſertorem fuſtigationis pœna cum perpetua relegatione conſtituta. Carpz. *I. C. l. 3. t. 5. def. 65. n. 6.* & ſi adulterium acceſſerit, ultimum ſupplicium Carpz. *d. t. 5. def. 66. n. 12.* Tantùm.



# SOLI DEO GLORIA.